DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE

PRÆSUMTIONE FURORIS ATQUE DEMENTIÆ,

Von der

Vermuthung der Raserey und Blödsinnigkeit,

QUAM

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCto,

POTENTISS. BORUSS. REG. CONSIL. INTIMO, UNIVERS. FRIDER. DIRECTOR. PROFESS. IURIS PRIMARIO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC DOCTORALIA PRIVILEGIA LEGITIME CONSEQUENDI,

AD D. XXX. AUG. MDCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

BARTHOL. JOHANNES SPERLETTE DE MONTGUYON,

HALENSIS MAGDEB.

SERENISSIMO PRINCIPI ANHALTINO - DESSAVIENSI AB EPISTOLIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITTERIS JOH. CHRIST. GRUNERTI, ACAD. TYPOGR.

Recusa 1751.



CONTENTA
DISPUTATIONIS.

De furore & ejus probatione doctrinæ pleræque incertæ. §.I. *Videlicet ob Doctorum præjudicia auctoritatis & præcipitantiæ* §. II. *Officium oppositum ingenui juris studiosi. Methodus dicendorum.* §. III. *Dementia & furor moralis non sunt hujus loci.* §. IV. *Ut nec fatuitas tam moralis quam politica.* §. V. *Aliter furorem ac dementiam physicam considerant Medici, aliter ICti.* §. VI. *Quomodo differant apud ICtos furiosi & mente capti?* §. VII. *Obiter de caussis & adjunctis mente captorum & furiosorum.* §. VIII. *Duplex significatus præsumtionis furoris vel dementiæ.* §. IX. *Utraque præsumtio nititur regulis secundum id quod plerumque fieri solet conceptis.* §. X. *Præsumtionis a probatione liberantis prima regula: Quilibet præsumitur esse sanæ mentis, donec probetur contrarium.* §. XI. *Secunda regula: Semel furiosus ac demens præsumitur adhuc talis, nisi probetur contrarium.* §. XII. *Ampliatur hæc regula: etiamsi furiosus intervalla habeat.* §. XIII. *Cur potentiores & nobiliores rarius ad sanam mentem restituantur quam homines inferioris ordinis?* §. XIV. *Præsumtionis ipsam probationem denotantis prima regula: Furoris & dementiæ probatio est difficilis.* §. XV. *Secunda: Tutissimum erit, ut judex consulat Medicos.* §. XVI. *Observatio de variis gradibus difficultatis probandi furorem.* §. XVII. *Tertia regula. Non confundenda sunt indicia furoris appropinquantis v. g. cachinnationis intempestivæ, cum indiciis furoris ipsius.* §. XVIII. *Regula quarta: Consideranda sunt & verba & facta dementium.* §. XIX. *Quinta regula: Dementes sunt, quorum vel sensus communis, vel phantasia vel memoria valde corruptæ aut debilitatæ sunt.* §. XX. *Regula sexta: Probatis variis verbis & factis, de magna corruptione sensuum internorum testantibus, dementia firmissime censetur probata.* §. XXI. *Imo etiam singula signa modo recensita sufficere ad probationem dementiæ.* §. XXII.

Re-

Regula septima: de signis dementiæ ex factis aliorum. §. XXIII. *Comparatio doctrinæ nostræ cum vulgari. Transitus ad membrum secundum dissertationis.* §. XXIV. *Cur non tradantur regulæ a ICtis de probatione recuperatæ mentis integræ?* §. XXV. *Cur magis de dissensu Doctorum, quam consensu in sequentibus acturi simus?* §. XXVI. *Monita nova de fatuis.* §. XXVII. *Confusio fatui politici cum demente.* §. XXVIII. *Elegans exemplum confusionis hominis hebetioris ingenii cum demente.* §. XXIX. *Zacchiæ obscuritas & excusatio.* §. XXX. *Ostenditur nullum furiosum habere dilucida intervalla: consensus veterum ICtorum: origo erroris: illustratio sententiæ nostræ.* §. XXXI. *De melancholia obscuræ & variantes ac falsæ etiam assertiones Doctorum.* §. XXXII. *Observatio de melancholicorum sapientia.* §. XXXIII. *Obscuritas Zacchiæ de præsumta furoris semel radicati continuatione.* §. XXXIV. *ICtorum incertitudo & contradictio. Ostensa exempli loco in doctrina Mascardi.* §. XXXV. *Filum Ariadneum extricandi se ex hoc labyrintho.* §. XXXVI. *Respondetur ad objectionem de testamento Tuditani ex Valerio Maximo.* §. XXXVII. *Probatur Tuditanum non fuisse dementem.* §. XXXVIII. *Simulatio furoris an sit delictum?* §. XXXIX. *An testes etiam non rogati teneantur causas scientiæ suæ dare?* §. XL. *Quid si testis dixerit: se vidisse aliquem furere, aut ut furiosum fuisse detentum?* §. XLI, *Quid si dixerit: scio, quia sum vicinus?* §. XLII. *De notariis hic idem dicendum. quod de reliquis testibus. Imo magis caute hic procedendum.* §. XLIII. *Quomodo intelligendum, quod duo testes pro sana mente præferri debeant mille testibus pro furore deponentibus?* §. XLIV. *Examinatur Zacchiæ assertio, solius imaginationis læsionem non involvere dementiam.* §. XLV. *Non esse dementem, qui in testamento jusserat, cadaver suum in mare projici.* §. XLVI. *Multo minus eum, qui jusserat, cadaver suum sepeliri cum sonis & cantibus.* §. XLVII. *Index aliorum falsorum indiciorum probandi furorem.* §. XLVIII.



DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

PRÆSUMTIONE FURORIS ET DEMENTIÆ.

§. I.

Hominum ſanæ mentis, & furioſorum aut dementium jura in plurimis negotiis differre, indubium eſt: a) Sed non ita indubium quinam homines pro furioſis aut dementibus ſint habendi, item quisnam furorem probare debeat, aut quomodo probatio ſit inſtituenda, vel unde deſumenda. Deprehendes enim circa has quæſtiones, ſive JCtos evolvas, ſive Medicos, tantum non ubique opiniones communes contra communes, aut certe aſſertiones obſcuras, dubias, incertas. Evolve ſaltem b) ex JCtis, Maſcardum, c) Menochium, d) Manticam, ex Medicis Zacchiam, e) & deprehendes te poſt eorum lectionem eſſe incertiorem quam antea fueras. Uti enim dicti autores ſua collegerunt ex anteceſſoribus, ita & ſucceſſores eorum eos fere iterum exſcribere ſolent, & ita juris incertitudinem non tollere ſed augere.

a) Jura furioſorum in ſumma exhibet Dion. Gothofredus in not. ad l. 13. §. 1. De Off. Præſ. b) De probat. concl. 502. it. 824. ſeq. c) De arbit. jud. quæſt. caſ. 529. & de præſumt. lib. 4. præſ. 50. & lib. 6. præſ. 45. d) De conject. ult. vol. l. 2. tit. 5. e) Quæſt. Med. legal. l. 2. t. 1.

A §. II.

§. II.

Quod si rationes hujus mali inquiras, deprehendes, eas, uti aliorum errorum communiter, præcipue duas esse, præjudicium autoritatis & præcipitantiæ. Scilicet persuaserunt sibi JCti Glossatores & eorum discipuli, nihil asserendum esse a JCto, (vel Medico) quod non probari possit vel claris verbis legum, (aut Galeni vel Hippocratis,) vel certe earum argumento, aut testimonio alicujus ex venerandis Glossatoribus, (vel Medicis.) Hæc si deficiant, nihil curandas esse doctrinas etsi evidentissimas & palpabiles: contra si hæc adsint, nequaquam attendendas esse objectiones quascunque, etsi in assertionibus pene in sensus incurrentibus se fundent. Accessit præjudicium præcipitantiæ, & deficiens judicium, dum ob defectum doctrinæ de interpretatione sæpe clara verba legum vel doctorum putabant adesse, cum tamen regulæ bonæ interpretationis suaderent, verba esse extendenda vel restringenda; cum argumenta ab exemplo vel simili haberent pro probantibus, non pro illustrantibus; cum multa alias absurda argumenta & regulis topicis repugnantia usurparent, dum erronee sibi persuaderent, Justinianum vel Tribonianum, (Galenum vel Hippocratem) etsi absurdissima afferta, etiam de rebus naturalibus & ubi nondum controversia de jure est, proferant, nunquam esse deserendos, sed eorum tradita pro articulis fidei esse habenda.

§. III.

Longe aliter se gerit ingenuus juris studiosus. Scit, jurisprudentiam rationalem esse; scit, rationem legis esse ejus animam, & clara legum verba sæpe palliare ea, quæ fiunt in fraudem legum; scit, Justinianum, Tribonianum, (item

(item Galenum & Hippocratem) fuisse homines, adeoque errori obnoxios; scit, doctrinam de definitione & criteriis furiosorum pertinere ad physicam vel medicinam, potestatem vero legislatoriam non recte extendi ad definitiones quarumcunque disciplinarum, multo minus rerum naturalium & præternaturalium; scit, veram eruditionem non consistere in assertionibus subtilioribus, plerumque inutilibus, sed in evidentibus, & tantum non in sensus incurrentibus, i. e. experientia quotidiana subnixis; scit, Justinianum nunquam fuisse legislatorem Germanorum, ejus que leges saltem in subsidium defectus legum patriarum esse receptas, quatenus vere leges sunt, leges vero nequaquam esse erroneas assertiones de morbis humanis & eorum natura. Igitur cum hæ observationes regnare debeant in omnibus capitibus jurisprudentiæ, tentabimus, annon & abstrahendo ab omni autoritate, ex sensu communi & observationibus inde deductis & omnium hominum captu convenientibus, absque autoritatibus vel JCtorum vel Medicorum, doctrinam hanc de præsumtionibus furoris & dementiæ, quantum fieri potest, perspicue proponere possimus, postea vero exemplis quibusdam ostendere, vel qua ratione errores virorum etiam celeberrimorum, ex neglectis illis regulis evidentibus orti, refutari facile queant, vel qua ratione doctrinæ JCtorum vel Medicorum, apparenter dissentientes, conciliari.

§. IV.

Dementia & furor vel sumuntur in sensu morali, vel in sensu physico. In sensu morali denotant stultitiam sapientiæ oppositam, & hoc intuitu regulariter omnes homines præsumuntur esse stulti, ob connatas passiones stultas dominantes, & sapientes demum fiunt, non nascuntur, sapientes tamen perfecti ac absoluti in hac vita mi-

nime dantur, sed saltem minores stulti habentur pro sapientibus: a) Ita omnes hominum cupiditates nimiæ, b) ut ira, libido, temulentia, voracitas, opum & divitiarum cupiditas, a poëtis & oratoribus insaniæ, dementiæ & furoris nomine sæpe denotantur. Sed hic significatus non est hujus loci.

a) Vid. latius Dn. Præsid. in fundam. Juris N. & G. lib. I. c. 3. & in Caut circ. præc. Jurispr. c. 1. & 2. b) Vid. Lexica sub vocibus: furor, insania, &c.

§. V.

Similis est ratio fatuitatis. Testatur enim quotidiana experientia, communiter homines non agnoscere propriam stultitiam moralem, etsi lyncei sint in agnoscenda aliorum fatuitate. Ita non solum voluptati dediti avarorum & ambitiosorum fatuitatem, & hi illorum stultitiam deplorant, sed & minus voluptuosi, avari & ambitiosi, eorum, qui majori horum vitiorum dosi præditi sunt, fatuitatem rident. Affines moralibus his fatuis sunt fatui politice sic dicti, qui & ipsi ad nostrum scopum non pertinent, nimirum qui in lingua Germanica dicuntur: Schalcks-Narren, Hof-Narren, ut qui plerumque sunt sagaces, astuti, & ad officia quoque civilia non inepti. Dicuntur vero fatui, quod, etsi maxima eorum soleat esse libertas in dicendo & faciendo, maxime tamen indecora & indigna iterum ab aliis pati soleant ac pati cogantur. Hujus fatuitatis politicæ etsi variæ possint esse causæ, ostendit tamen iterum diligentior inspectio naturæ humanæ, & inde profluens experientia, quod plerumque proximus ad hanc fatuitatem gradus sit, si inferiores nimis familiariter conversentur cum superioribus, & præcipue cum imperantibus.

§. VI.

Restat sensus furoris ac dementiæ physicus, qui hujus

jus loci est. Consideratur enim hoc modo furor & dementia, quatenus sunt morbi a corpore orti, rationem hominis & ejus sedem & instrumentum præcipuum, hoc est, cerebrum corrumpentes vel debilitantes. Horum morborum vero cum sint plurima genera, quæ singula ad curam medicorum spectant, non omnia vero a JCtis attendi solent; inde non mirandum, quod a Medicis plures furoris vel dementiæ species recenseantur, quam a JCtis, aut quod etiam a Medicis aliter definiantur ista varia genera, quam a JCtis.

§. VII.

JCti potissimum ad duo dementium genera respicere solent, furiosos & mente captos. a) Hi dicuntur, qui stulta & omni rationi adversa agunt quiete, i. e. ut nec sibi nec aliis noceant, furiosi contra, qui sibi & aliis nocere intendunt. Mente capti vel usu rationis destituuntur ubique, vel saltem in singularibus quibusdam imaginationibus falsis, ut si quis se putet habere nasum longiorem, si quis metuat, ne, si urinam faciat, tota civitas pereat, si quis se putet esse regem vel sanctum vel mortuum, &c. Furiosi vel facile curantur, adeoque non diu furore ægrotant; ut si furor cum febre ardente sit conjunctus; vel eorum furor esse solet diuturnior, quod plerumque accidit, si reliquæ partes corporis non ægrotent, sed robustiores sint & sola cerebri dispositio sit corrupta vel valde alterata. Atque hi iterum sunt duplicis generis: Vel enim continuo intendunt aliis vel sibi nocere, vel habent intervalla quædam quietis apparentis, quibus tamen nunquam vel certe rarissime fidendum. In eo enim est evidens differentia inter intervalla, v. g. febrilia, die guten Tage der Febricitanten, & intervalla furiosorum, quod illa plerumque sint certa, indubitata, dilucida, hæc

a) Vid. Lexica Juridica sub his vocibus.

vero regulariter obſcura, incerta & minime dilucida. Provoco iterum ad experientiam.

§. VIII.

Quomodo vero ratione cauſæ vel adjuncti differant mente capti & furioſi, ad Medicos præcipue pertinet. Sunt, qui timorem nimium eſſe cauſam vel ſignum ordinarium mente captorum, iram vero nimiam, & his adjectam audaciam, furioſorum arbitrantur. Sed tamen credo etiam dari mente captos non timidos, ut, ſi ex magno memoriæ defectu, aut ex imaginatione falſa, quæ non ſemper timori adſcribi poteſt, hic morbus oriatur. Et dari etiam furioſos, qui valde ſunt timidi, experientia probat. Adde, quod ſæpius a Domino Præſide audiverim, infallibilem morum characterem eſſe, quod omnes timidi ſint crudeles, vel etiam impudentes & omnes crudeles vel impudentes timidi. At ſæpe confundere ſolent homines audaciam cum impudentia vel crudelitate, & ita furioſis loco crudelitatis & impudentiæ audaciam tribuere. Mihi videtur, ſalva reverentia Medicorum, temperamentum melancholicum eſſe regulariter fons morborum in mente captis & furioſis, cum hac tamen diverſitate, ut, ſi melancholia, avaritiæ filia, ſit paſſio dominans una cum voluptate, regulariter inde oriri poſſit captivitas mentis, ſi una cum ambitione, regulariter ad furorem redigere poſſit homines. Non tamen negarem, poſſe etiam ex mente capto fieri furioſum, v. g. ſi cum melancholia & voluptas & ambitio dominentur, etſi rariſſima putem eſſe exempla, quod ex furioſo aliquis ad mente captorum claſſem ſit translatus.

§. IX.

Quod porro præſumtionem furoris aut dementiæ attinet, notum alias eſt, quod præſumtionis vox in jure pro-

probationi opponi ſoleat, cum ſecundum commune axioma, qui præſumtionem pro ſe habet, non indigeat probatione, ſed probare teneatur is, contra quem præſumtio militat, a) at in doctrina juris de furore, præſumtionis vox etiam de ipſa furoris probatione prædicari ſolet, b) quia videlicet hæ probationes ex variis ſignis & conjecturis phyſico-medicis deſumi debent, adeoque ad claſſem probationum artificialium ſunt referendæ, unde, quamvis alias hodie rariſſima ſint exempla probationum artificialium, c) regula tamen hæc evidentem habet exceptionem in probatione furoris.

a) vid. Dn. Præſes de præſumtione allodialitatis, §. 15. b) Menoch. de præſumt. lib. 6. præſ. 45. n. 22. 23. Maſcard. de prob. concl. 824. n. 2. c) Dn. Præſes de præſumt. allodialitatis, §. 12. & 13.

§. X.

Communis utrique præſumtionis exceptioni obſervatio eſt, quod utraque nitatur regulis non abſolute certis & univerſalibus, quales ſolent eſſe regulæ mathematicæ veritatis, ſed veroſimilibus. Veroſimiles autem regulæ dicuntur, quæ ſuas quidem admittunt exceptiones, deſumtæ tamen ſunt ab eo, quod plerumque fieri ſolet, i.e. a natura rerum, & ejus communiter accidentibus. a) Unde neque in regulis præſumtionum a probatione furoris liberantium, neque in regulis præſumtionum de ſignis & conjecturis furorem probantibus expectabis regulas, quæ plane omnes limitationes excludant, ſed regulas bonas judicabis, ſi plerumque obtineant; ineptas, ſi raro, etſi J torum aut Medicorum præcipui eas ſerio inculcaverint & defendere intenderint.

a) Vid. Dn. Præſ. Einleitung zur Vernunfft-Lehre, c. 10. §. 51. ſeq. & de Præſ. allod. §. 17. & 18.

§. XI.

Quod igitur initio præſumtiones a probatione liberantes

rantes in quæstionibus juris de dementia & furore attinet, distinguendi sunt duo casus. Vel enim agitur de eo, cujus furor non est notorius, sed qui hactenus pro homine sanæ mentis fuit habitus, vel de eo, de quo constat esse vel fuisse hactenus furiosum. Quod primum attinet, simplex & pene in sensus incurrens regula hæc est: Quilibet præsumitur esse sanæ mentis, nec furiosus aut demens, donec probetur contrarium. Ratio est, quia naturaliter homines sunt sani, pauci ægrotantes. Unde observa insignem differentiam inter naturam hominis moralem, politicam & physicam. Secundum naturam moralem, i. e. intuitu voluntatis, homines præsumuntur mali & insipientes. a) Secundum naturam politicam vel juridicam seu intuitu actionum externarum alios lædentium, homines præsumuntur boni non mali. Etsi enim homines moraliter sint stulti, inter stultos tamen illi, qui injusti sunt, extreme sunt stulti, quorum adeo minor est numerus quam reliquorum. Deinde actiones externæ ad malitiam inclinantes infinitis modis variant, pro diversitate temperamentorum, occasionum, irritationum, circumstantiarum etiam minimarum, ergo etiam hoc intuitu in actionibus externis non poterunt regulæ formari, secundum id, quod plerumque fieri solet, secus ac in actionibus bestiarum ejusdem speciei. Unde etiam orta est alia regula. Nullum factum præsumi, sed esse probandum ab allegante. b) Secundum naturam physicam, seu intuitu sanitatis corporeæ & morborum iterum præsumtio est pro bonitate seu sanitate per modo dicta. Nec obstat, quod præsumtio initio paragraphi adducta non loquatur de sanitate corporis, sed mentis, at vero ipsi fassi

a) Vid dicta superius §. 4. b) Plura de præsumtione bonitatis. vid. in Diss. Inaug. Dn. Ludovici de hac materia anno 1700 habita.

faſſi fuerimus in præſumtione de natura hominis morali mentem eſſe regulariter corruptam. Nam facilis eſt ad hanc objectionem reſponſio. Mens hominis conſtat duabus facultatibus, intellectu & voluntate. Intellectus magis pertinet ad naturam hominis phyſicam, voluntas ad moralem. Intellectus ſua natura ſanus eſt, & corrumpitur partim per voluntatem, partim per morbum. Prior corruptio univerſalis eſt, poſterior particularis. Naturaliter enim homines ſanum intellectum ſeu mentem habent in corpore ſano, quatenus ſanitas hæc mentis opponitur ægritudini ex morbis corporis ortæ, inter quas etiam furor & dementia eſt, quatenus nos eas conſideramus.

§. XII.

Secunda regula eſt: Semel demens & furioſus ſi furor & dementia jam per aliquod tempus duraverit & paululum altiores radices egerit, præſumitur adhuc talis, niſi pronetur contrarium. Nam experientia oſtendit, mente captos & furioſos ſemel tales raro priſtinæ integritati mentis reſtitui, unde præſumtio iterum ab eo deſumitur, quod plerumque fieri ſolet. Et hæc etiam cauſa præcipua erat, quod furioſis & mente captis ab antiquiſſimis temporibus curatores dati fuerint. a)

a) Vid. tot. tit. ff. & C. de Curat. furioſi.

§. XIII.

Cum tamen nullum etiam ſit dubium, furioſos & mente captos in eo inter ſe differre, quod mente capti plerumque in continua dementia & privatione mentis vivant, furor autem ſæpius intervalla habeat quietis apparentis, inde quæſtio oritur: annon intuitu furioſorum regula ſecunda limitationem admittat, quod tales furioſi

B præ-

præſumantur tempore intervalli eſſe ſanæ mentis. Sed ſi præjudicium autoritatis & præcipitantiæ ſeponimus, facilis eſt reſponſio, regulam ſecundam potius ad hunc etiam caſum eſſe extendendam. Nam jam ſupra a) oſtenſum, intervalla furioſorum non eſſe dilucida, nec certa. Ut taceam, quod, etſi certa etiam eſſent intervalla furioſorum, tamen nulla appareret ratio, cur tum furentes in claſſem hominum ſanorum ſint referendi, cum tamen febricitantes, etiam tempore intervallorum certorum, habeantur adhuc pro febricitantibus. Adde & illud inconveniens politicum, quod, cum plerumque furioſi curatores habeant, mira & miſera adminiſtratio rerum furioſi inde oritura eſſet, ſi hodie tempore furoris ſenſibilioris curator, cras tempore intervalli furioſus adminiſtrationem dirigeret, cum hæc directio varians non poſſit non ex infinitis contradictionibus conſtare, adeoque valde imprudens, & rei œconomicæ plane adverſa & noxia eſſe: Imo perpetuæ tum forent rixæ inter curatorem & furioſum, curatore non ſine ratione allegaturo, furioſum tempore prætenſi intervalli eſſe revera furioſum, & ſimulare ſaltem ſe eſſe ſanum, b) & contra furioſo, etiam tempore violentiæ non ſine probabilitate aſſerturo, ſe non furere, ſed ſaltem iracundiorem eſſe, iracundiam autem fuiſſe ab avaritia curatoris excitatam.

a) §. 7. b) Notabilia ſunt verba Celſi Medici apud Menoch. lib. 6. præſ. 45. n. 3. ſq. Ex phreneticis alii hilares, alii triſtes ſunt, alii intra verba deſipiunt, alii violenti ſunt, alii nihil niſi impetu peccant, alii artes adhibent & ſimulant ſe eſſe ſanos.

§. XIV.

Antequam hanc primam præſumtionum de furore partem finiam, liceat illud adhuc obſervare, haud dubie in regula ſecunda præſupponi, quod furioſi & mente capti

capti possint tamen a morbo furoris & dementiæ liberari, eo ipso dum hanc præsumtionem dicamus admittere probationem contrarii. Et hodienum testatur experientia, etiam Medicos varia posse adducere exempla, feliciter ad sanam mentem restitutorum mente captorum & furiosorum, forte seculis antiquioribus parum cognita vel non ita frequentia. Sed cogita tamen, qui fiat, ut non ita rara sint exempla hominum civici aut rustici ordinis, ac nobilium, principum, regum. Hi enim, si semel vinculis coërceantur, aut ut mente capti vel furiosi custodiantur, ne unum quidem quod sciam suppeditabunt exemplum, quod a furore curati fuerint? Hic sane non status in causa est, sed modus tractandi furiosos, & interesse eorum, qui curam dementium gerere debebant. Reges, Principes, Nobiles, si in furorem incidant, sæpissime sunt in cura agnatorum, vel etiam filiorum. At horum & eorum ambitionis vel avaritiæ interest, ut furiosi non restituantur, ne administratio eorum interimistica cesset, & sic imperium aut dominium vel quasi rerum administratores iterum cogantur deponere. Notum vero est vulgatum: Jus, si violandum est, imperii gratia violandum erit. Accedit, quod etiam Principibus & Nobilibus furiosis dentur custodes homines vilioris conditionis, vel plebeji, iisque permittatur, metu furiosis, etiam ubi opus sit per verbera incusso, illos coërcere, ne conatus furiosos ita facile in actum deducant. At quis quæso, ita duriter ab hominibus rusticis & crudelioribus quotidie habitus, posset evidentia signa rationis restitutæ aliis præbere, cum potius illa durities custodum & rusticitas, si homini mentis integerrimæ saltem per aliquot dies accidat, capax sit eum furiosissimum reddere. Eadem est ratio, si in vinculis detineantur furiosi, neque vincula ip-

ſis adimantur, etſi jam incipiant priſtinæ ſanitati reſtitui. Alia eſt ratio communiter hominum ordinis civici vel ruſtici. Hic regulariter uxorum & liberorum intereſt, ut mariti & parentes quam primum ad priſtinam ſanitatem reſtituantur, & officia ſua recipiant, unde neque cuſtodibus tantam duritiem permittere ſolent, neque compedibus aut vinculis, ſi non id poſtulet neceſſitas, eos magis irritare.

§. XV.

In altera præſumtionum claſſe, quæ ipſas probationes furoris denotat, prima regula eſt: Furoris & dementiæ probatio difficilis eſt, unde cautius hic procedet judex quam in aliis probationibus. Rationes hujus regulæ ſunt ſequentes: 1) quia ſæpe homines ſanæ mentis ſimulant ſe eſſe furioſos. Quod etſi vix veroſimile videatur, cum res ſit plena periculi & damni furorem ſimulare, tamen de aſſertionis veritate non eſt dubitandum, ob non infrequentia exempla ejusmodi ſimulationis. Davidis, Ulyſſis, Solonis, Bruti, aliorum, retulerunt alii. a) Cauſæ etiam ſimulati furoris variæ eſſe poſſunt, vel ut evitetur majus periculum imminens, vel ut deliquentes pœnas & carceres effugiant, vel ut quis ſecurius aufugere poſſit a loco, ubi vel ob debita, vel alias ob cauſas metuit incarcerationem, &c. Notabile eſt valde dictum Ulpiani, de ſuis temporibus loquentis, b) *quod plerique vel furorem vel dementiam fingant, quo magis, curatore accepto, onera civilia detrectent.* Dico *de ſuis temporibus.* Neque enim arbitror, ut ad mores noſtros poſſit applicari hæc obſervatio, propter ea, quæ Dn. Præſes alibi latius deduxit, de legitimatione liberorum apud Romanos per oblationem curiæ. c) Unde ſequitur ratio 2) quia furor & dementia non immediate incurrit in ſenſus, ſed ex variis conjecturis & ratio-

rationibus non ſine artificio probanda eſt, unde teſtes etiam non ſimpliciter erunt interrogandi: An hic vel ille ſit furioſus, ſed rationes reddere debent, cur eum pro furioſo habeant. Accedit ratio 3) quia per modo dicta d) aliquando contingere poteſt, ut proximi conſanguinei ex avaritia vel ambitione ſine juſta cauſa homines ſanæ mentis petant declarari furioſos vel mente captos, unde haud dubie a judice audiendi erunt illi, quos alii pro furioſis vel mente captis declarari volunt, antequam curator ipſis detur. Ita Huberus refert e) ſuo tempore, cum iſta ſcriberet, publice ſcripto conqueſtum eſſe, Illuſtrem virum & Politicorum aliquando Principem habitum, quod ſibi inaudito bonis ut inſano interdictum fuerit, atque ut talis invitus venæſectionibus & ſcarificationibus ſit curatus.

a) Cardanus de ſapientia lib. 3. p. 238. ſeq. Zachias quæſt med. legal. l. 3. t. 2. qu. 5. n 2. Plura de ſimulatione morborum in genere vide apud Zachiam integr. tit. 2. lib. 3. & Fortunatum Fidelem de relat. med. lib. 2. ſect. 2. b) Lib 6 de Cur furioſi. c) Diſp. de Uſ pract. Doctrinæ Inſtitut De legitimatione c. 1. § 8 lit. d. c. f. juncto c. 2. §. ult. d) §. Præc. 14. e) In prælect. ad tit. ff. de Curat. furioſ. p. 223. n. 4.

§. XVI.

Secunda regula eſt: Tutiſſimum adeo erit, ut judex conſulat ſuper probationibus quibuscunque furoris & dementiæ medicos, cum ad horum artem pertineat primario judicare de morbis quibuscunque & de eorum ſimulatione. Conſulendi vero erunt medici non ſolum, an furioſi ſint vel mente capti, de quibus agitur, ſi de validitate actus ab iis commiſſi agatur, ſive liciti intuitu obligationis & efficaciæ, ſive illiciti intuitu pœnæ, ſed etiam an furor & dementia altas radices egerint, an vero facile & brevi tempore ad priſtinam ſanitatem poſſint reſtitui, ſi videlicet agatur de curatore iis dando.

§. XVII.

Quamvis vero hactenus dicta suadeant, ut judices in determinando furore semper plenissimam causæ cognitionem præmittant, nullum tamen est dubium, quod & plenitudinis hujus & difficultatis probandi furorem & dementiam varii sint gradus, pro diversitate casuum, ita ut in uno casu difficilior sit probatio & major a judice debeat adhiberi circumspectio, quam in altero. Ita haud dubio difficilior est probatio & cautior esse debet judicis dispectio, si suspiciones adsint, quod furor simuletur, aut, quod proximi ex cupiditate opum curatorem sub prætextu furoris petant dari furioso, quam si istæ suspiciones non adsint. Multæ etiam rationes suadent, ut difficilior sit probatio primi furoris aut dementiæ, quam furoris recidivi. Nam præterquam quod furoris vel simulatio, vel falsa imputatio a proximis orta sæpius occurrat, ubi quæstio est de primo furore, quam ubi de secundo; debet etiam in probando primo furore attendi, ne illi, qui dementia morali in gradu eminentiore laborant, pro furiosis physice talibus, de quibus nos agimus, habeantur, etsi non raro his sint valde propinqui, & non multum ab illis differant. Jam supra a) notavi, excedens temperamentum melancholicum valde inclinare ad timiditatem & crudelitatem: ad illam scilicet, si homines melancholici sint in statu paupertatis aut honore destituti; ad hanc, si sint divites & potentes. Et experientia testatur, quod avari, dum sunt divites & potentes, sæpe (etiamsi eruditione & doctrina famam sibi acquisiverint) soleant maxima cum jactantia, admixtis multis palpabilibus mendaciis, laudes suas non sine maximo legentium vel audientium tædio decantare, & hoc stultissimo medio honorem & gloriam captare; adversarios item suos, etsi alias virtuosos & inno-

innocentes, crudeliter persequi, aut certe inimicitiam dissimulantes, sub prætextu, quod mere passive se gerant, per insidias & literas occulte iis nocere. Tales autem affectus & classes stultitiæ moralis, sæpe sunt præludia furoris & morbi cerebrini. Interim tamen cum præludia talia & indicia morbi futuri non sint morbus ipse, id est, cum rationis quidem debilioris, non autem corruptionis aut privationis indicia præbeant; inde nimis præcipitanter ageret judex, si ejusmodi stultos, (in primis eruditos,) pro furiosis declaret. Ergo communiter evenire solet, ut demum post factum triste, vel homicidii perpetrati vel tentatæ autochiriæ aut similia tales compedibus, ut furiosi coërceri & curatores illis dari soleant. Quod si autem pristinæ sanitati restituti semel fuerint, etsi hæc cerebri sanitas per aliquot annos duraverit, & furor revertatur, partim utilitas reipublicæ, partim ipsorummet insanientium utilitas postulat, ut citius pro furiosis iterum declarentur & curatorem recipiant, quam prima vice id factum fuerat.

a) Supra §. 8.

§. XVIII.

Extra hunc vero casum in materia probandi furoris regula tertia judici observanda est: Ut non confundat indicia appropinquantis furoris cum indiciis furoris ipsius. Et in hoc iterum differentia est inter officium medici & JCti vel Politici. Priores bene faciunt, si etiam indicia prioris generis non negligant, & medicamentis in tempore adhibitis melius esse putent prævenire morbum, quam a morbo præveniri. At JCti & Politici peccarent contra officium suum, si candidatos dementiæ & furoris vellent declarare pro vere dementibus & furiosis, & adeo compedibus illos coërcere jubeant, vel curatores eis dent, etsi bene facturi sint, si jubeant, ut proximi tales candidatos

datos dementiæ placidis verbis disponant, ut medicorum opera in tempore utantur, ut eos absque vinculis custodiant, & non relinquant solos, ut absque violentia aliis quibuscunque modis eos impediant, ne absque consilio amicorum sanæ mentis actus majoris momenti celebrent, unde damnum in re familiari pati possint. Etsi vero in paragrapho præcedente jam dederim varia exempla talium indiciorum moralium appropinquantis dementiæ; succurrunt tamen etiam indicia physica, quæ quotidiana experientia valde verosimilia esse comprobat. Ita non equidem quicunque risus intempestivus pro ejusmodi indicio haberi potest, etsi sit indicium stultitiæ moralis. At si quis, potissimum in conventibus publicis modestiam ab omnibus postulantibus, & maxime in conventibus sacris, absque ulla causa, & irritatione externa, in cachinnationes aliquoties erumpere soleat, hoc si non indubium, certe valde verosimile indicium esse solet furoris appropinquantis.

§. XIX.

Quod igitur præsumtiones furoris actu præsentis attinet, regula quarta jubet, ut considerentur non solum verba, sed & facta hominum, an ea rationi communi hominum aliorum, (etsi moraliter stultorum, non tamen dementium,) repugnent. Quamvis enim loquela homini primario data sit a divino numine, ut sit indicium intellectus; non tamen seponenda erunt facta. Quandoque enim dementes verba proferunt rationi omni & sensuum evidentiæ repugnantia, etsi quoad facta tranquilli sint, & nihil committant, quod inhonestum vel injustum sit: quandoque verba proferunt tantum non ubique nullam læsionem rationis testantia, ex factis tamen eorum judicari poterit, quod dementes vel furiosi sint; quandoque & ex

verbis

verbis & ex factis ſimul conjecturæ dementiæ & furoris peti poſſunt. Utrum vero magis ad verba quam ad facta aut vice verſa reſpicere hic debeat prudens judex, magis ſubtiliter quæri arbitror, quam ut ea quæſtio utilitatem aliquam in praxi habeat. Res ipſa ex modo dictis tribus dementium generibus clara eſt. Nec obſtat, quod tamen alias in actibus civilibus magis ad facta quam ad verba reſpicere ſoleamus, unde etiam v. g. proteſtatio verbalis facto contraria non magnam habet efficaciam in jure. Nam reſpondeo, ad facta quidem magis reſpiciendum eſſe in actibus voluntatis, aliam vero eſſe rationem intellectus, de cujus indiciis jam ſumus ſolliciti.

§. XX.

Etſi vero conſtet inter omnes, dementibus & furioſis rationem inſigniter turbatam vel diminutam eſſe, nequaquam tamen huic doctrinæ repugnabit regula quarta: Pro dementibus habendos eſſe, quorum ſenſus communis, vel phantaſia, vel memoria inſigniter & valde corruptæ ſunt aut debilitatæ. Nam ſolent equidem hæ tres facultates animæ communiter ad animam ſenſitivam referri, anima vero ſenſitiva a mente vel intellectu docetur valde differre, nobis tamen firmiter perſuaſum eſt, iſtas facultates ſenſitivas eſſe potiſſimas & præcipuas intellectus facultates. Nam 1) ſolus homo inter animalia mediante intellectu cogitat; at omnes ſenſus interni abſque cogitatione concipi nequeunt, 2) Uti ſenſus externi fundamenta quaſi ſunt internorum, ſine quibus interni ſenſus non poſſent in actum deduci, ita & ſine ſenſibus internis non poſſet in actum deduci operatio reliqua intellectus, & a ſenſibus internis communiter ſeparata iisque contradiſtincta, (utrum recte an ſecus, hic non diſputo,) ſcilicet formatio idearum, ſeu conceptus univerſalium, por-

ro conceptus aut formatio propositionum, syllogismorum, eaque methodica. Ergo sensibus internis vel organis eorum in cerebro corruptis necesse etiam est, ut ratio ipsa seu intellectus simul corrumpatur. 3) Unde si quis putet se videre vel audire, vel tangere, &c. quæ sensibus hominum sanæ mentis repugnant; si in una re sæpissime erret, ad mente captos, si in plurimis ad furiosos referri plerumque solet; si quæ alii sensibus percipiunt, ipse sanis oculis & auribus, &c. præditus non attendat, ad mente captorum classem pertinet. Furiosos esse, quorum imaginatio & phantasia valde corrupta est, nemo negat. Memoriæ defectus non omnis quidem ad probandam dementiam sufficit, alias senes & qui a juventute sunt imbecillis memoriæ etiam dementibus forent accensendi, sed si quis adultus nomen proprium etiam ignoret, eum non video quomodo classi mente captorum possit eximi, in primis, si in ignorantia ista diu perseveret, multo magis si nullius negotii familiaris recordetur. 4) Si illi, qui falsas & inutiles, i. e. nimis abstractas ideas effabricant, & de iis tanquam pro aris & focis disceptant; si illi, qui falsas propositiones defendunt; si illi, qui ineptis syllogismis utuntur, aut fallacias in argumentando committunt; si illi, qui de logomachiis litigant aut meteoris orationis utuntur; si denique illi, qui sine methodo docent, & flosculis oratoriis, affectus audientium & legentium corrumpere intendunt, pro dementibus aut furiosis habendi essent, sequeretur illud absurdum, plerosque eruditorum in omnibus facultatibus & disciplinis pro dementibus esse habendos, ne quidem exceptis venerandis ecclesiæ patribus plurimis, aut maximis hæreteficibus, item Papis, & hodienum papizantibus. Ergo patet, dementiam nequaquam in corruptione rationis, quatenus a sensibus internis abstrahit, esse quærendam. Q. E. D.

§. XXI.

§. XXI.

Ex hactenus dictis fluit sua sponte regula sexta: haud dubie pro dementibus esse habendos, de quibus testes deponunt, quod verbis vel factis declaraverint, quod eorum sensus communis, phantasia aut memoria in cerebro morbo valde corruptæ sint, præcipue vero si plura signa hujus corruptionis concurrant. Atque hanc assertionem ita certam esse arbitror, ut non opus sit ejus ulla probatione ulteriore, cum neminem observaverim vel inter medicos vel inter JCtos ea de re dubitasse. Unde haud dubie dementia probata erit, si testes deposuerint, eum, de quo quæstio est, per vicos insana locutum esse; & prætereuntes sine causa irrisisse projecisse lapides in eosdem; nomen suum ignorasse; non respondisse convenienter, sed interrogatum de una re respondisse de altera; publice pudenda ostendisse; falso putasse in angulis domus adesse tibicenes; in faciem notarii testamentum scribentis exspuisse, &c. Neque enim si talia plura indicia concurrant, excipi hic a defensoribus dementium poterit, quod hæc omnia simulata fuerint ex astutia illius, qui dementiæ accusatur, partim quod hujus simulationis rariora sint exempla, adeoque non facile præsumantur, partim, quod nullum dari aut concipi possit exemplum, quod illi, qui insaniam simulaverint, actus hactenus recensitos conjunctim fecerint: ut taceam regulariter simulationem a cautioribus detegi eo argumento, quod simulantiam actus non cohæreant.

§. XXII.

Ergo dubium saltem remanet, utrum plene probata censeatur esse dementia, si saltem singuli ex his actibus probati, & quinam ex hactenus recensitis præ reliquis emineant, (si nimirum non adsit justa simulationis præsumtio, aut etiam ebrietatis.) Et videtur sufficere, si te-

ſtes ſaltem depoſuerint, eum, qui demens fuiſſe arguitur, vel unum ex iſtis ſignis, quæ paragrapho præcedente retulimus, edidiſſe, quia ſingula illa ſigna indicant, ſenſus internos, i. e. vel ſenſum communem, vel phantaſiam, vel memoriam, in cerebro patientis morbo valde fuiſſe corruptos.

§. XXIII.

Sufficiant iſta de ſignis & probationibus dementiæ ab ipſis verbis & factis eorum, quorum res agitur, deſumtis. Reſtant & aliæ probationes a factis aliorum petitæ, puta ſi quis a parentibus, vicinis, ſi ab omnibus, maxime ſi a medicis pro demente fuerit habitus, ſi in vinculis & compedibus fuerit cuſtoditus; ſi cui a magiſtratu curator ob dementiam datus fuerit. Res ipſa loquitur, ſingula hæc ſigna ita eſſe comparata, ut inde formetur ſeptima regula, quod ex ſingulis iſtis ſignis probationes dementiæ deſumi poſſint, ſive parentum amorem & curam liberorum, ſive vicinorum curioſitatem & attentionem, ſive efficaciam notorietatis in jure, ſive præſumtionem, quod artifici in ſua arte credendum ſit, ſive autoritatem rei judicatæ & præſumtionem pro magiſtratu attendas. Imo adverſus hæc ſigna ne quidem locum habere poteſt ſuſpicio ſimulationis, quam tamen in ſignis præcedentis paragraphi non negligendam eſſe monui. Etſi vero ſuperius a) notata doceant, non nunquam ex cupiditate cognatorum injuſte homines ſanos vinculis conſtrictos fuiſſe, ac ſi furioſi eſſent, adeoque nullum ſit dubium, tum audiendos eſſe, qui dicunt, ſibi injuriam factam eſſe, non tamen poterit illa objectio nocere regulæ, partim quia cognatorum mentionem non fecimus, ſed parentum ſaltem & vicinorum, quorum alia eſt ratio; deinde, etſi cognatos addas, rariora tamen ſunt exempla etiam

etiam cognatorum cum injuria cognatum ut furiosum tractantium & jam supra b) monuimus, regulas nostras non esse apodicticas & universales, sed formari ab eo, quod plerumque fieri solet. Tertio ex eo, quod audiendus sit, si desideret, qui pro furioso habetur, non sequitur, signa hoc paragrapho relata non sufficere ad probationem furoris, sed saltem, quod admittant contrariam probationem, & adeo quod faciant probationem præsumtivam, c) nam hæc observatio est generalis, & in vulgus nota, omnem probationem admittere probationem contrariam, non obstantibus grillis doctorum, ex quibus nescio quam præsumtionem juris & de jure effinxerunt, quos jam vivis coloribus Dn. Præses depinxit alibi, d) ut taceam & aliam responsionem, petendam ex mox e) dicendis.

a) Supra §. 15. n. 3. conf. dicta §. 14. b) Supra §. 10. c) conf. dicta §. 9. d) De præsumtione allodialitatis §. 23. usque ad §. 26. e) infra §. 26.

§. XXIV.

Hæc sunt illa mysteria de præsumtione dementiæ, quæ magno labore advocati & judices ex glossatoribus, legibus, & medicis discere cupiunt. Vides, nullas leges, nullos glossatores, nullos medicos allegavimus, & tamen doctrina ipsa a nobis tradita vel ideo omnibus subtilitatibus legulejisticis, & pseudophilosophicis aut pseudomedicis præferenda est, quod non solum absque ulla sollicitudine autoritatis, quis & qualis id dixerit, contineat assertiones, quarum perspicuitas & veritas ab hominibus cujuscunque status & conditionis sine ulla difficultate percipi possit, cum nitantur in quotidiana experientia & principiis naturæ evidentibus, sed &, quod etiam intuitu ordinis, regularum & methodi eas proponendi, non tanta in illis regnet confusio tædiosa, quanta depre-

henditur apud Autores supra a) recensitos, & alios, quos ipsi citant. Nihil itaque restat amplius, quam ut reliqua ostendamus, quæ supra b) ex simplicibus regulis nostris nos ostensuros esse promisimus. a) Supra §. 1. b) §. 3. in fine.

§. XXV.

Antequam vero id fiat, obiter prius proponam dubium, quod mihi nunc incidit. Dixi in secunda regula classis prioris, a) quod semel furiosus semper præsumatur talis, nisi probetur contrarium. Quemadmodum igitur JCti de eo maxime fuerunt solliciti, quomodo probandus sit furor, si præsumtio sit pro sanitate mentis, ita debebant etiam tractare de signis & probationibus recuperatæ sanitatis, præcipue cum non dubitare sinant dicta superius, b) quod probatio recuperatæ sanitatis mentis sit longe difficilior, quam probatio furoris intuitu ejus, qui præsumitur hactenus fuisse sanæ mentis, in primis cum multi furiosi soleant intervalla habere; adeoque nulla regula videatur suppeditari posse, quæ non applicari posset a contradictoribus ad illa intervalla. Interim tamen docet experientia, dementes etiam a morbo diuturniore fuisse plene liberatos & per aliquot annos æque sanos mente fuisse, quam fuerant ante primam dementiam; ergo necesse est dari etiam signa ad probandum hoc assertum. Et tamen non memini a JCtis, hoc thema ea cura, qua probationem furoris docuerant, tractatum, aut saltem de eo cogitatum fuisse. Quænam igitur est hujus negligentiæ ratio? Dicam quod sentio. Casus nunquam in jure apud Romanos occurrit, quod de probatione hac in judicio fuerit quæstio, adeoque etiam JCti non sunt negligentiæ accusandi, quod de casu non facile dabili cogitaverint. Prius assertum sic probo. Vel demens sponte per proximos a vinculis fuit liberatus, & pro sano habitus,

tus, vel a curatore, perſuaſo firmiter de recuperatione ſanitatis, adminiſtratio bonorum ei fuit iterum commiſſa, tum nulla probatione judiciali opus fuit, ſed curatela ipſo jure, i. e. abſque ſententia judiciali c) fuit finita. At ſi invitis cognatis & curatoribus is, qui hactenus pro demente fuerat habitus, vellet declarari pro homine mentis integræ, tum & deficiebat actor, & deficiebat actio, & deficiebant ſigna probationis evidentis. Actor deficiebat, quia demens ipſe non poterat eſſe actor, propter præſumtionem continuantis dementiæ, quæ ipſi æque obſtabat ac homini libero, ubi dominus erat in poſſeſſione ſervitutis. Deficiebat etiam actio, quia nulla legitur actio popularis vel ſimilis inventa aut conceſſa hoc caſu in jure Romano. Denique deficiedat probatio per dicta ab initio hujus paragraphi. Et communiter ſolet eſſe magna differentia in rebus veroſimilibus, quoad gradus veroſimilitudinis, ubi nemo de veroſimilitudine dubitat, & ubi contradictio inter diſſentientes oritur, ut ex exemplis infinitarum controverſiarum in ſingulis facultatibus & diſciplinis probari poſſet.

a) Supra §. 12. b) Supra §. 14. c) Ita forte intelligendus eſt Ulpianus. l. 1. de curat. furioſis.

§. XXVI.

Jam in viam. ICti (& Medici) in doctrina de dementia & ejus præſumtione ac probatione vel eadem ſentiunt nobiſcum, vel a nobis diſſentiunt. De conſenſu parum ero ſollicitus ob rationes ab initio a) dictas. In eo enim a nobis differunt, quod ipſi ſententiam eandem nobiſcum defendant, quia Iuſtinianus, Farinacius, Maſcardus (aut Zacchias,) &c. eam aſſeruit, quia ex communi nos vero eam aſſeramus dictamine rationis evidenter deducitur. Poterit tamen ſciendi cupidus, conſenſum eorum facile perſpicere, ſi modo evolvat, & cum hactenus dictis conferat autores

ſupra

supra citatos. b) Ergo potissimum ero sollicitus de eorum dissensu, simul operam daturus, ut ostendam, quomodo præjudicium autoritatis vel præcipitantiæ occasionem dissensus dederit, & quomodo eadem præjudicia partim ab aliis fuerint agnita, partim quomodo præcipui & famigeratissimi doctores, dissensum hunc cum vera sententia per ineptas & tantum non dementes distinctiones aut limitationes conciliare voluerint.

a) Supra §. 2. & 3. b) Supra §. 1.

§. XXVII.

Dixi, a) non confundendos esse cum dementibus fatuos, exempla quædam fatuorum dedi, qui non sunt dementes. Cæterum nullum est dubium præter illa exempla dari adhuc alia fatuorum, qui non sunt dementes, & utinam doctores eadem paulo evidentius proponerent. Zacchias b) varia hic collegit, & ad ICtos aliquoties provocavit, c) simul tamen indicans, quod ICti aliam intentionem habeant, & alia methodo procedant. Sed hæc parum erudiunt. Putarem reliqua fatuorum genera ad duas potissimum classes referri posse. 1) Enim fatui dici solent homines naturæ tardioris & hebetioris ingenii, aut imperfecti judicii vel memoriæ, qui tamen nihil vel parum rationi adversum faciunt, vel loquuntur. Hi sunt affines mente captis, sed tamen cum iis non confundendi. 2) Ipsi mente capti quatenus furiosis contradistinguuntur, etiam a quibusdam fatui vocari consueverunt.

a) §. 5. b) lib. 2. tit. 1. qu. 7. c) n. 7. 10. 13. &c.

§. XXVIII.

Confudisse autem ICtos fatuos politicos cum mente captis & furiosis patet ex Menochio, a) & Mantica. b) Etsi enim ex Menochio illustrari possint ea, quæ supra c) de fatuis moralibus dixi, in eo tamen peccat uterque, quod a fatuo politico argumentatus fuerit ad dementem.

Scili-

Scilicet vult uterque probare, furiosum non haberi pro tali, si testamentum fecerit, quod alias fecisset homo sanæ mentis, sed potius exinde probari dilucida ejus intervalla, (qua de re infra d) distinctius videbimus.) Ratio utriusque hæc est, quia fatuus præsumatur ex lata sententia ingeniosa tum temporis sanæ mentis, aut non demens fuisse. Posterius vero assertum probant sequenti exemplo: *Refert Hostiensis latam fuisse quandam sententiam a fatuo Parisiensi: Nam cum quidam mendicus & famelicus transiret per tabernam, & ad odorem carnium, quæ coquebantur, comedisset panem, & esset jam satur, tabernarius petebat, sibi ab eo pecuniam solvi, & cum inter eos magna esset contentio, convenit, ut starent judicio cujusdam fatui Parisiensis, qui sane auditis partibus, & intellecta controversia, fecit afferri bacile, & in eo adnumerari aliquot quatrinos, non tamen dari, ut sicuti ille famelicus fuerat saturatus ex odore carnium, ita etiam per eundem modum tabernario esse satisfactum ex sono tantum denariorum, & dicit Hostiensis, quod si Gratianus, qui decretum compilavit, hac de re fuisset interpellatus, non potuisset justius illam controversiam decidere.* Hactenus bene, (quamvis ego nollem fatuum cum Gratiano, & vice versa Gratianum cum fatuo comparare,) sed quod inde infert Mantica, potius fatuitatem propriam indicat, quam ut mereatur ab imperitioribus exscribi. *Unde,* inquit, *ille fatuus tunc temporis cum illam tulit sententiam, præsumitur ex tenore sententiæ sanæ mentis fuisse.* Homo integræ mentis potius sic locutus esset. Unde ille fatuus, cum esset saltem fatuus aulicus, præsumitur ante sententiam non fuisse demens, sed astutus; alias enim pro dementibus fuissent habendi litigantes, compromittentes in sententiam æque dementis. Eadem dicenda sunt de his, quæ jam sequuntur apud Manticam. *Igitur pari ratione testator* (furiosus) *creditur compos fuisse*

 mentis

mentis, cum sapienter fuerit testatus, & hanc sententiam probat etiam Thomas Grammaticus, dicens, ita fuisse per sacrum consilium decisum. Tu contra observa, sacra etiam consilia non esse immunia a dementia, adeoque ab ingenuo ICto eorum autoritatem circumspecte esse æstimandam.

a) De arbitr. jud. quæst l. 2. cas. 529. n. 4. seq. b) De conj. ultim. volunt. l. 2. tit. 5. n. 8. c) Dict. §. 5. conf. Menoch. d. l. n. 2. d) Infra §. 31.

§. XXIX.

Aliam confusionem fatui cum demente, i. e. hominis hebetioris & stupidioris ingenii narravit mihi Dn. Præses, quæ ejus tempore in civitate vicina contigit. Erat ibi bibliopola Flavius, unicum filium habens, sed tardioris ingenii, & qui communiter ut fatuus contemptim habebatur a pueris aliis. Difficulter loquebatur & tardius: missus in scholam publicam jam pubes, & adultus in classe tertia & quarta inter pueros ætate minores variis modis ab his vexabatur, & cum non posset perspicue exprimere desideria sua, & factum narrare promte, etiam irridebatur a præceptoribus. Pater hæc sentiens curabat eum albo academico inscribi, & jubebat collegia frequentare. Parebat filius, sed absque profectibus, cum parum intelligeret latinam linguam. Ergo pater adhuc vivus sibi prospiciebat de Sejo adjutore & ministro fideli in administratione bibliopolii, eique commendabat filium, ut fidelitatem sibi patri demonstratam etiam post mortem continuaret intuitu filii, filio vero jubebat, ut post mortem suam contractum societatis iniret cum ministro Sejo, quod etiam faciebat Flavius junior mortuo patre. Sejus ergo solus gerebat curam administrationis. Flavius vero ædibus & mensa Seji utens, & de nulla re familiari sollicitus, sed omnem curam etiam linteorum & vestitus sui Sejo relinquens, individuus tamen comes Seji erat in biblio-

bliopolio, sed nihil ibi agens, nisi quod prætereuntes, ineuntes & exeuntes placido quidem, sed stupidiore vultu aspiceret, & si illi quid de rebus, ad bibliopolium spectantibus, quærerent, ad socium remitteret, si vero de rebus vulgaribus loquerentur, vel taceret, vel paucissima adderet verba non tamen insulsa, vel etiam saltem subrideret. Interim preces consuetas matutinas & vespertinas recitabat, templa frequentabat, admittebatur ad sacram cœnam & ut testis ac compater ad baptismi administrationem. Dicebatur etiam, quod non inepte chartis luderet, etiam tales lusus, quæ judicium ludentis non exiguum præsupponunt. (v. g, das Picquet-Spiel.) Insuper erat affectuum temperatissimorum, non ad iram, non ad avaritiam, non ad luxuriam inclinans, sua sorte & socio suo contentus, placidus, a gula & re venerea abstinens, neque adeo de matrimonio sollicitus. Et hactenus nemo illum in tota civitate adscripserat classi dementium. Sed mox scena mutabatur. Habebat Flavius junior patruum, agnatum proximum, sed hominem prodigum & mendacem ac valde obæratum. Hic cum premeretur ac urgeretur a creditoribus suis, ad nonnullos dixerat, si Flavius junior moreretur, quod tunc debita sua cum usuris solvere vellet. Audiens ista Sejus, sine difficultate persuadebat Flavio juniori, ut testamentum conderet, & ipsum Sejum solum, patruo plane præterito, hæredem institueret. Adit igitur patruus cum rabula Sempronio judicem, ac de Sejo conquestus, quod Flavii fatuitate abusus, conaretur ipsi successionem debitam auferre, petit, ut Flavio tanquam mente capto Sempronius curator detur. Judex Cajus, vir alias eruditus, & qui cum applausu jura docebat, Flavium, de quo quidem nonnulla audiverat, sed cujus tamen mores non perspectos habebat, citari curat. Compa-

rente Flavio repetit Sempronius querelam patrui præsentis: postulat judex a Flavio, ut respondeat; hic nescius cur citatus fuerit, & advocato destitutus, timore etiam per præsentiam adversarii & autoritatem judicis percussus, non habet, quod respondeat, nec adeo allegat rationes, cur a petito patrui deberet absolvi. Videns ejus mores Cajus, paulo præcipitantius sibi persuadet, Flavium mente captis esse accensendum, atque statim ei mandat, ut Sempronium præsentem pro curatore agnoscat. Excitatus hoc jussu a torpore Flavius contradicit Cajo, & quamvis verbis tardius prolatis negat se esse mente captum, negat se Sempronii curatelam agniturum. Cajus tamen iratus minis carceris Flavium cogit, ut data manu promitteret, se jussibus Sempronii, ut curatoris, ab hoc momento pariturum. Sed statim a metu vacuus rem totam Sejo socio narrat. Hic Titii advocati consilium petens, instruitur, ut modeste nomine ipsius Flavii a judice petatur cassatio curatoris obtrusi, addita eventuali appellatione ad principem, ut tamen simul caveatur, ne Sempronius ille curator actum aliquem possessorium curatelæ exerceat; neque id sine ratione. Mox enim & antequam querela nullitatis describeretur, ut judici offerri posset, adest rabula & socio Flavii Sejo præsenti declarat, quod ipse ea die sit curator Flavii constitutus. Sejus respondet secundum instructionem Titii, quod ipsum nequaquam pro curatore agnoscat, & quod juris sui tuendi causa Sempronium humanissime roget, ut statim bibliopolio exeat, ne invitus cogatur, ope lignorum præsentium, (quibus bibliopolium claudi solebat,) virum alias venerandum expellere. Sempronius de injuria sibi facta, & de contemtu ipsius judicis conqueritur apud Cajum. Cajus statim citari jubet Flavium. Flavius loco comparitionis per-

personalis judici mittit dictam querelam nullitatis. Judex iratus Flavium ex valvis publicis citari jubet. Repetit Flavius in scriptis protestationem & appellationem, addita exceptione loci non tuti & dandi salvi conductus, item adjuncto responso scabinorum illius loci, quod & ipsum pro nulla declaraverat dationem illam curatoris & Flavium a suspicione dementiæ ex variis circumstantiis supra recensitis, (quas vel paululum sagax lector facile divinare poterit,) liberaverat. Hoc viso Cajus agnoscere incipit præcipitantiam suam, & rabulam curatorem deserit, sed tamen, ut solent homines fatuas etiam causas adferre ad excusandum dolum vel culpam suam, prætendit, quod præcedens justa ejus præsumtio dementiæ de Flavio potissimum per eam rationem ipsi ademta fuerit, quod testes, cum quibus aliquoties luserat Flavius, jurato deposuissent, quod non sine judicio luserit: quasi vero, si sine his testibus fuisset, is, qui inexercitatus est in ejusmodi ludis, vel etiam ad eos ob deficientiam inclinationis ineptus, pro demente vel mente capto foret habendus.

§. XXX.

Dixi, a) medicos dementium plura genera constituere quam JCtos. Utinam etiam ea paululum accuratius distinguerent, & non nimia diligentia exscribendi alios, lectorem magis confunderent. Laudanda est Zacchiæ intentio optima, non solum varias dementiæ species, sed & alia genera affinia, quibus ratio læditur, lectori proponendi. Sed præterquam, quod singulæ quæstiones sub illo titulo b) tractatæ sæpe cumulent opiniones contrarias, aut confundant lectorem, vel ipse numerus & rubricæ quæstionum, quarum 23. iste unicus titulus continet, cupidiorem quidem lectorem & attentiorem faciunt ad lectionem, sed tamen apud accuratiores mox aliquam

diffidentiam excitant. Promittunt enim eæ doctrinas, de multiplici dementiæ, & hujusmodi nominum acceptione; de pluribus amentiæ differentiis; de ſignis non ſanæ mentis; quænam animi facultates, ac qua ratione in omnibus dementiis lædantur; de rationis diminutione ex defectu ætatis & ſexus; de rationis læſione ex animi paſſionibus, & ex pravitate morum, potiſſimum ex ira & timore; de ignorantibus fatuis, ſtolidis, obliviofis, & memoria orbatis; de mutis & ſurdis; de melancholicis; de amantibus; de ebriis; de dormientibus & noctambulis, de lethargicis, comatoſis, caroticis, omniſque generis ſomniculoſis; de apoplecticis; epilepticis, lunaticis & huiusmodi; de ictis a fulmine, attonitis, congelatis, & catalepticis; de phreneticis, maniacis, furioſis, ecſtaticis, lycanthropicis, cynanthropicis & ſimilibus; de hydrophobis ſeu rabioſis ex aſſumto veneno delirantibus, & infatuatis; de dæmoniacis; fanaticis, lymphaticis, præſtigiatis, enthuſiaſticis, engaſtrimythis, & ſimilibus; de ſyncopizantibus ſenſu defectis, agonizantibus, & in articulo mortis poſitis, de mente alienatis ex morbis longis ſeu vehementibus, ut peſte & ſimilibus; de phreneticis, hypochondriacis & omnibus dilucida intervalla habentibus; de ſuffocatis ex utero, & ex utero furentibus; denique, in quibusnam dementibus locum habeant concluſiones, nimirum: ſemel furioſus ſemper præſumitur furioſus, & illa: demens de præterito præſumitur etiam demens in præſenti. Excuſo tamen Zacchiam, quod ſeductus fuerit vitio ſeculi & autoritate, maxime ICtorum; adeoque eum, qua medicum, in ſequentibus quandoque ut teſtem adducam in aſſertionibus, in quibus ſolam rationem phyſicam & experientiam ſecutus eſt.

a) §. 5. ſeqq. b) Scil. d. l. 2. tit. 1.

§. XXXI.

§. XXXI.

Non autem miror, ſi plerique lectores hæſitaturi ſint, legentes, quod negaverim a) furioſos morbo diuturniore cerebri laborantes, non habere dilucida intervalla, ſed obſcura & non dilucida iis tribuerim, cum tamen communis ſententia omnium ICtorum huic aſſertioni repugnet, nec ab ea opinione etiam videatur eſſe alienus ipſe Zacchias. Sit ita, ſufficit, quod recta ratio & experientia eis contradicat, imo ſufficit, quod nemo vetrum ICtorum eam doctrinam agnoverit; ſufficit, quod ſit inventum ſolius Juſtiniani, ab huius idololatris ad noſtra tempora propagatum; ſufficit, quod ipſe Zacchias nobis ſuppeditet argumenta in contrarium. De experientia quotidiana non opus eſt, ut plura dicamus, cum nullum exemplum hactenus dari potuerit horum dilucidorum intervallorum, ICtos veteres quod attinet, provoco initio ad conſtitutionem Marci & Commodi, quam Macer refert, b) ubi *intervallorum* quidem fit mentio apud furioſos frequentium, quæ nec ipſi negavimus, non autem intervallorum dilucidorum. Nobiscum etiam ſentit Ulpianus c) diſtinguens furorem in eum, qui *intervalla* habet, & qui perpetuus morbus eſt. Idem eſt ſenſus dum Ulpianus alibi d) dicit, quod furioſi quandoque habeant *intermiſſionem.* Ut taceam Ulpianum in hoc loco videri loqui vel de eo furioſo, qui brevi & cum febre ardente conjuncto furore, una cum febri poſtea ſublato, laboravit, vel de eo, qui vel ob hanc intermiſſionem nondum pro furioſo a parentibus aut vicinis vel a prætore declaratus eſt, alias enim ſalva autoritate Ulpiani dicerem, falſum eſſe, quod furioſus ita declaratus teſtis eſſe poſſit in teſtamento, ſi non addatur alia limitatio, v. g. quod furioſus talis evaſerit cuſtodiam, & in alio loco, ubi nondum erat cognitus, a teſtatore igno-

ignorante fuerit adhibitus. Propius ad sententiam nostram accedit Celsus, qui ejusmodi intervalla furiosorum sic circumscribit, quod tum furiosus in *conspectu adumbratæ quietis* constitutus fuerit. e) Etenim quies adumbrata, nisi me omnia fallunt, est intervallum obscurum, & incertum, minime dilucidum. Pergo ad leges Codicis. Ubi similiter Diocletianus *intermissionis* f) mentionem facit, & uti contextus ostendit, per intermissionem intelligit liberationem a morbo febrili vel simili. Sed non placuit hæc philosophia Imperatori Justiniano. Unde primus & solus distinxit inter intervalla furiosorum incerta & sæpe fallacia, & intervalla *perfectissima*, g) quæ alibi intervalla *dilucida* h) vocat, qui posterior terminus, tanquam magis perspicuus, fere placuit glossatoribus, & JCtis subsequentium temporum. Sed paulo post videbimus, quantas hic error occasiones dederit JCtis se torquendi, ut intervalla illa dilucida definiant, a qua tortura sumus immunes, cum non entis nulla sit definitio. Denique quod Zacchiam attinet, is equidem ex professo agit i) de dementibus omnibus, dilucida intervalla habentibus, sed jam aliquoties diximus, Medicos & Zacchiam voce dementiæ uti in latiore significatione, quam JCtos, adeoque sub hac voce plures intelligere, quam mente captos & furiosos, de quibus agunt JCti. Quæstio est, an furiosi habeant dilucida intervalla? Videamus, quid hic sentiat Zacchias. Atque initio statim suspectum est, quod hic non directo mentem suam aperiat, sed per multas ambages. Nam initio dicit k) *debere medicum scire, in quibusnam dementiis sperari possit, ægros habuisse, vel habere potuisse.* (Vides, hæc *spei & possibilitatis* immixtio, si non plane tollit, saltem dubiam & incertam facit totam diluciditatem intervallorum,) *dilucida intervalla.* Tum prænotat: *in quibusdam dementiis hæc inter-*

intervalla esse manifestissima, in aliis non nisi obscura & apparentia. (Quid opus fuit & his ambagibus, cum lector optet & expectet demonstrationem dilucidorum intervallorum.) Jam prolixe docet, l) quinam non habeant intervalla dilucida, eorumque classes duodecim narrat, *pueros ex senio delirantes, mulieres ex sexu imbecillitate intellectus laborantes, crassæ farinæ homines, mutos & surdos a nativitate, ebrios, lethargicos & similes, ictos a fulmine & similes, phreneticos,* m) *hydrophobos seu rabiosos, hos, qui ex assumto veneno insaniunt, denique qui ex morbis longis in dementiam incidunt.* Hic nescio profecto, an Zacchias ex astutia paululum malitiosa, an vero ex timore, ne irritaret JCtos, si iis paulo crassius contradixisset, lectorum expectationem eludat, non scire cupientium, quinam dementes non habeant intervalla dilucida, sed quinam habeant, & an furiosi iis gaudeant? Si non gaudent, cur non eorum mentionem facit, in classibus hactenus recensitis; si gaudent, cur non statim, & absque ambagibus id asseruit? Sed expecta adhuc paulisper, nondum enim audet vel vult Zacchias mentem suam de furiosis dicere, ita enim pergit: *In cæteris autem dementiis omnibus, sive essentiales sint, sive secundarii morbi,* (Cave ne hic exclames: Eia si in cæteris dementiis omnibus, ergo & in furore. Non sine causa enim monui: Expecta paulisper) *sperare licet dilucida intervalla, possunt enim remitti & intendi.* (At hic iterum mutatur status controversiæ, nam per *dilucida* intervalla non intelliguntur furoris *remissiones*, sed cessationes ad tempus, & per *habere* non intelligitur *sperare* vel *posse* habere) *sed manifestissime remittunt melancholiæ species omnes, præcipue vero hypochondriaca, ecstasis, epilepsia, appoplexia, quando non fuerit fortis, lycanthropia, perculsio fanatica, furor uterinus, uteri suffocatio, & his similes.* (Exla-

mas ex impatientia: quid de furore simplici dicis! de hoc quæro, & de dilucidis, quæ ei attribuit Justinianus intervallis. Tandem ergo audi, quid sentiat Zacchias) *Obscure vero,* inquit, *furor seu mania, præsertim cum est inveterata, dæmonia corum species omnes & hujusmodi.* (Jam igitur habeo, quod volo: obscura remissio & dilucida intervalla sunt entia plane opposita. Ergo Zacchias stauit, furorem non habere dilucida intervalla.

a) §. 7. juncto §. 13. b) l. 14. De offic. præsid. c) l. 22. §. 7. sol. matrim. d) l. 20. §. 4. qui testam. fac. poss. e) l. 18. §. 1. de acquir. possess. f) l. 2. C. de contr. emt. g) l. 6. de curat. furios. h) l. 9. C. qui testam. fac. poss. i) d. l. 2. t. 1. qu. 21. k) num. 14. l) n. 15. ad 25. m) His jam negaverat dilucida intervalla qu. 16. n. 6. seq.

§. XXXII.

De melancholia dixi, a) quod regulariter sit fons morborum dementiam producentium, & quod tamen per se non inferat positionem dementiæ. Quod si medicos pariter & JCtos evolvas, deprehendes assertiones de melancholicis partim obscuras, partim variantes & incertas, partim falsas. Zacchias, ubi de melanchlicis agit, b) melancholiæ & melancholicorum voce plane in alio sensu utitur, quam & Philosophi & JCti alias solent. Philosophi melancholicos dicunt, qui temperamento melancholico, temperamentis, sanguineo, cholerico & phlegmatico, contradistincto præditi sunt, & adeo possunt esse sanæ mentis. JCtos mente captos dicere eos, quos Medici vocant melancholicos, fatetur ipse Zacchias, c) quia scilicet senserunt, ad dementiam plus requiri, quam solam melancholiam. Medici vero melancholicos dicunt, qui ex naturalis melancholiæ, quam & atram bilem vocant, vitio insaniunt, & hos opponunt iis, qui ex non naturalis melancholiæ, turgentia, i. e. furore, dementiunt,

d) adeo-

d) adeoque volunt differre furorem a melancholia, furioſos a melancholicis; ſed Hippocratem tamen melancholiæ voce etiam pro furore uti. e) Jam ſuo tempore Cicero hac parte Græcos notavit: f) *Græci μανίαν unde appellant, non facile dixerim, eam tamen ipſam diſtinguimus nos melius, quam illi, hanc enim inſaniam, quæ juncta ſtultitiæ patet, latius a furore disjungimus. Græci volunt illi quidem, ſed parum valent verbo, quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant; quaſi vero atra bili ſolum mens, & non ſæpe vel iracundia graviore vel timore vel dolore* (ad furorem) *moveatur*, &c. Sed in verbis ſimus faciliores, modo in re conveniremus. Hodie Medici noſtri rident atram bilem veterum medicorum in melancholicis g) eamque inter chimæras referendam eſſe docent, adeoque dolent, quod JCti, etiam hodierni, ut Carpzovius, h) ſeducti ab autoritate non ſolum veterum medicorum, ſed & potiſſimum Sennerti, medici celeberrimi præcedentis ſeculi, hos & alios ſimiles errores, in ſuos juridicos tractatus ut axiomata indubiæ veritatis tranſtulerint; quapropter etiam in genere monere ſolent, i) principia ex medicina in jurisprudentiam translata plerumque eſſe incerta, præprimis quæ ſola nituntur autoritate Galeni & Hippocratis. Hactenus de medicis. Inter ICtos quam exigui judicii fuerit Menochius, vel ex ſequentibus apparebit. Refert alicubi, k) quod ICtus quidam, cujus nomini ſe parcere dicit, inter ſigna dementiæ retulerit, ſi quis MAGNA vexetur melancholia. Ipſi tamen hæc ſententia diſplicet, ac verius eſſe putat, hoc non eſſe probabile dementiæ ſignum, cum verum quidem ſit, inſanit, ergo melancholia laborat, ſed non ſequatur contra, eſt MAXIME melancholicus, ergo eſt inſanus & demens, cum ut plurimum melancholici ſint, teſte Ariſtotele l) ſapientes. Quantæ ineptiæ!

Ex hactenus dictis constat, melancholiam & dementiam gradu differre, unde non sequitur quidem, omnis demens est melancholicus, ergo omnis melancholicus est demens, id tamen omnino sequitur: Demens a melancholico differt, quod in demente melancholia adsit in MAGNO vel MAXIMO gradu. Ergo ex hac observatione omnino sequitur, quod MAXIMA melancholia & dementia convertantur. Unde, quamvis Aristoteles docuerit, ut plurimum melancholicos, (scilicet in gradu temperato) esse sapientes, tamen exinde inepta est iterum consequentia, ergo MAXIME melancholici sunt sapientes, præprimis cum idem Menochius attulisset, m) eundem ICtum, contra quem disputat, ex ipso Aristotele n) probasse, eos, qui atra bile, i. e. melancholia abundant, insania rapi, & tales melancholicos mortem vel laqueo vel ferro sibi inferre consuevisse. Nec tamen propterea defendo ICtum, contra quem disputat Menochius. Etsi enim nihil falsi dixerit ratione ipsius dementiæ, nihil tamen docuit, quod perspicue inservire possit loco probationis judici ad dicendam sententiam, cum magna vel maxima melancholia & dementia sint synonyma, adeoque hæc probatio probet idem per idem, & sic committat petitionem principii. Etenim illa magna melancholia æque ac dementia non incurrit immediate in sensus, sed ex verbis & factis melancholici dijudicanda & per hæc probanda est.

a) Supra §. 8. b) d. l. qu 9. c) n. 3. 13. 14. d) n. 2. & 9. e) §. 4. 5. f) Tusc. 3. c. 5. g) Amman. in Iren. Pompilii p. 27. item in Medicin. Crit. disc. 45. p. 292. seq. h) Criminal P. 1 qu. 18. n. 33. & P. 3. qu. 145. n. 60. 61. i) Amman. dict. disc. 45. pag. 292. k) lib. 6. præsumt. 25. n. 58. sign. 16. l) Sect. 30. probl. 1. m) dicto sign. 16. n) Sect. 1. probl. 12. & d. sect. 30. probl. 1.

§. XXXIII.

Cum tamen diversæ ac variæ sint sententiæ de melancholicorum sapientia, non alienum ab hoc loco erit, videre

videre qualis & quanta sit relatio inter sapientiam & melancholiam. Aristoteles a) problema proponit, cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in studiis Philosophiæ, vel in republ. administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholici omnes fuerint? Et respondet pro more confuse & impertinenter. Summa eo redit. Primo quæstionem, quatenus de facto loquitur, probat exemplis Heroum, etiam propter excessum melancholiæ morbo comitiali affectorum, ut Herculis, Lysandri Lacedæmonii, Ajacis & Bellerophontis apud Homerdum. Porro Empedoclem, Socratem, Platonem & alios viros insignes atque plerosque poëtas dicit fuisse melancholicos. Postea post prolixam & tædiosam comparationem vini cum melancholia, (etsi obscure) docet, omnes homines esse melancholicos, sed tamen melancholiam esse vel frigidam vel calidam: priores melancholicos esse stultos & ignavos, posteriores ingeniosos, amasios, propensos ad omnem excandescentiam & cupiditatem, nonnullos etiam loquaciores, furiosos, sed tamen quandoque divino furore, (ut Sibyllæ & Bacchæ) instigatos. Poëtam, quendam Syracusanum, tempore furoris præstantiora carmina fecisse: sed qui remissioris caloris sint, eos prorsus quidem melancholicos, sed longe prudentiores esse, ac aliis omnibus longe præstantiores vel in studiis literarum, vel in artibus vel in republica. Frigidiores esse timidos, calidiores contra intrepidos. Temparatam atram bilem seu melancholiam reddere homines egregios & singulares, sed tamen facile vitiis atræ bilis obnoxios & dementiæ- Brevibus, melancholicos omnes per naturam esse ingenio singulari. Alius autor anonymus b) persuasus fuit, sine melancholia neminem posse sperare se perventurum esse ad conversationem cum ge-

 niis

niis intermediis Platonicis, noviſſime a ficto quodam Comite de Gabalis in ſcenam phyſicam iterum productis, ſed requiri temperamentum ſanguineum melancholia mixtum & temperatum. Inde Platonem damnaſſe Homerum, quod Deos introduxerit ridentes; Ciceronem autem expreſſe dicere: Melancholicis aliquid divini ineſſe. Adhuc alius, c) cum Crœſus notaſſet, Foxum laboraſſe vitio melancholico, taxat eum, quod inter vitia retulerit temperamentum melancholicum, cum tamen id in rebus divinis non adeo obſit, ſed multo magis id commode proſit. Quamvis autem multa hic monere poſſem, brevitati tamen ſtudebo. Initio 1) diſtingue inter ſapientiam vel prudentiam genuinam & eruditionem. Poteſt quis egregius eſſe Poëta, Criticus, Mathematicus, Diſputator, &c. Et tamen peregrinus in vera ſapientia. 2) Heroës Græcorum nihil minus fuerunt quam ſapientes & prudentes, præcipue autem heroës furioſi, & tota virtus heroica Græcorum eſt virtus larvata & phantaſtica. d) 3) Quod Socrates melancholicus fuerit, vix credo ac ne vix quidem: Platonem fuiſſe melancholicum non nego, nego tamen fuiſſe ſapientem, ſed una cum Ariſtotele autorem inſanientis ſapientiæ firmiter credo. 4) Erravit Ariſtoteles, dum putavit, omnes homines eſſe melancholicos, i. e. quod temperamentum melancholicum in omnibus emineat, de hac re enim quæſtio erat. 5) Erravit, dum melancholiam diviſit in frigidam & calidam, ipſa enim in ſe frigida eſt & ſaltem per admixtionem temperamenti ſanguinei & cholerici incaleſcit. 6) Si igitur melancholia frigida ſecundum Ariſtotelem eſt cauſa ſtultitiæ, non potuit ſapientiam adſcribere temperamento melancholico, certe ingenioſi, loquaces, furioſi, &c. quos ipſe in ſcenam producit, & ſapientes toto cœlo differunt. 7) Furor Sibyllarum & Baccharum, eo ipſo quo

furor

furor eſt, non eſt attributum ſapientiæ, & ridicule furorem Sibyllarum divinum dici jam perſpicue notavit Cicero. e) 8) Si calor remiſſior reddit homines prudentiores, falſum, quod prudentia derivetur a frigida melancholia, cum calor remiſſior calor tamen ſit non, frigus. 9) Verum quidem eſt, melancholicos omnes eſſe, intuitu hominum aliis temperamentis gaudentium, ingenio ſingulari præditos, ſed de hoc non erat quæſtio. Nam & ſtulti & furioſi habent ingenia ſingularia. 10) Quod ſecundum autorem attinet, tota doctrina de geniis intermediis, Platonica, i. e. fatua eſt, ſalva reverentia Comiti de Gabalis debita. 11) Ciceronem dixiſſe, quod melancholicis aliquid divini inſit, non credo, cum loci ex eo ſupra f) adducti aliud plane ſuadeant. Hæc quidem invenio apud Ciceronem: g) *Ariſtoteles eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid præſagiens atque divinum.* Sed hæc non eſt ſententia Ciceronis, ſed Quinti fratris, quam refutat Cicero libro ſequente. 12) Quodſi etiam id dixiſſet ipſe Cicero, non tamen crederem, cum ita eſſet teſtis in propria cauſa. Ciceronem enim fuiſſe hominem ſub dominatu averitiæ & voluptatis langueſcentem, ex lectione vitæ ejus firmiter ſum perſuaſus. 13) Denique quoad autorem tertium, quod Quakeri ſibi perſuadeant, melancholiam dominantem non eſſe vitium, non miror, ſed a Quakerorum ſapientia libera nos, Domine. Mea ſententia de melancholicorum ſapientia, hæc eſt. Homines omnes a nativitate moraliter ſtulti ſunt, ergo & melancholici: Uti tamen alii homines per Dei gratiam poſſunt debitis adhibitis mediis ad ſapientiam pervenire, ita nec melancholici ſunt excludendi. Interim melancholicos reliquis eſſe ſapientiores, nec verum eſt, nec veroſimile, eaque in ſententia magis confirmor,

firmor, ſi ſapientiam Saulis melancholici comparem cum ſapientia Salomonis haud dubie minime melancholici. Quod vero melancholici tantopere deprædicent ſapientiam ſuam, & ſui ſimilium, non miror, cum hic ſit fructus philautiæ perverſæ. Imo nec ipſis contradico, ſi modo addant, ſe loqui de ſapientia Platonica, Ariſtotelica, Homerica, Ciceroniana, ex furore Poëtico orta, ſpectrifica, hexifica, comtegabaliſtica, quakeriſtica &c. Liceat enim cum pace Ciceronianorum ſapientiam hanc ſingularem ſuis etiam & ſingularibus terminis deſcribere.

a) l. probl. 1. b) Qui edidit: Curiöſe Erwegung der Worte Moſis, Gen. VI, 2. Amſtelod. 1700. p. 29. 30. Conſtat tamen aliunde auctorem fuiſſe Dn. Amanderncnde Profeſſ. Viadrinum c) Autor dilucidationum ad Crœſi Hiſtoriam Quakerianam p. 28. d) Confeſſ. Cautel. circ. præc. Jurispr. c. 5. §. 85. not. t. e) l. 2. de divinat. c. 54. f) Supra §. 32. lit. f. & hic lit. e. g) l. 1. de divin. c. 37.

§. XXXIV.

Porro ſupra a) regulam de præſumta furoris ſemel radicati continuatione, niſi probetur contrarium, paucis verbis propoſui, & evidentibus rationibus probavi. Jam confer pauca iſta verba cum doctrina Zacchiæ & ICtorum, & deprehendes, quod ille nobiſcum quidem ſentiat, ſed tamen ob nimiam diligentiam methodi vulgaris dogmaticæ, multis ſuis declarationibus rem magis obſcuret; hi vero autoritate Juſtiniani perculſi circa hanc regulam talia fere doceant, quæ, ſi is, qui ſemel furioſus fuiſſet, loqueretur, opponi poſſent illis, qui probare vellent, furorem ceſſaſſe, tanquam indicia maxime veroſimilia furoris continuantis. Prius quod attinet, Zacchias b) neſcio qua de cauſa ex una regula ejusdem ſenſus duas fecerit, ſolum propter diverſa verba, & diverſos autores. Sive enim dicas: Semel furioſus ſemper præſumitur furioſus; ſive dicas: Demens de præterito præſumitur etiam demens

demens de præsenti, perind est, & Zacchias ipse fatetur, quod idem pene importent, & tamen adhuc aliam & tertiam addit, ejusdem generis, tanquam quæ priores duas firmet: quod, qui olim aliqua ægritudine laboravit, etiam hodie æger præsumatur, cum tamen hæc sit magis dubia, quam priores duæ. Postea omissis & saltem obiter memoratis variis dissensionibus JCtorum, ex medicæ scientiæ principiis regularum illarum veritatem monstrare vult adhibitis quatuor aliis regulis. 1) Eam assertionem non habere locum in dementiis, quæ cum febre eveniunt, aut cum alio morbo, quem febris concomitatur, ut in phrenitide, lethargo & hujusmodi. 2) Neque in dementiis momentaneis: 3) neque in dementiis, quæ per consensum aliarum partium fiunt, non ex morbo per essentiam in cerebro existente. Sed 4) locum habere POSSE in omnibus melancholiæ speciebus, in mania, in apoplexia, in epilepsia, in dæmoniacis & similibus. Doctrinam Zacchiæ in summam contraxi, quæ tamen omisi verba, non clariorem reddunt ejus mentem, sed adhuc magis obscurant.

a) Supra §. 12. b) l. 1. tit. 1. qu. 23.

§. XXXV.

JCtos quod attinet, videamus saltem, quid tres illi ab initio allegati dicant, & patebit eorum vel incertitudo, vel obscuritas, vel contradictio. Mascardus a) ita docet: Furiosum semel semper furiosum præsumi, quia motus furiosorum præsumantur durare, nisi contrarium probetur, maxime in furore, qui non consuevit ita facile recedere; naturam enim non pati repentem mutationem, & credi semper fieri, quod solitum sit fieri. Ab hac tamen sententia *recedere* plures ideo, quod præsumtio furoris statui originali repugnet; sed hos posse *conciliari*, si

dicatur, eorum ſententiam locum habere, ſi furioſus in furore non diu manſerit, priorem autem, ſi probatum fuerit, furioſum aliquem fuiſſe per aliquod tempus continuum, v. g. menſem vel annum. Hanc priorem eſſe ampliandam, etiamſi furioſus *habeat* dilucida intervalla; *contradicere* tamen alios ex ea ratione, quia in mitiorem partem debeat fieri interpretatio, ut potius valeat actus quam pereat. Diſſenſum forte *conciliari* poſſe, ſi dicatur, furioſum habentem dilucida intervalla præſumi non eſſe furioſum tempore actus, ex quo nullum ſtultitiæ ſignum appareat; ex *qualitate actus* enim præſumi de ſtatu agentis, judicantibus ita, teſte Valerio Maximo, centumviris, de *Teſtamento Tuditani,* inſani hominis, quia in teſtamento nullum apparebat inſaniæ ſignum. Sed tamen & huic ſententiæ alios *contradicere,* docentes, etiamſi actus furioſi *dilucida intervalla habentis,* recte & ſapienter geſtus fuerit, tamen furioſum adhuc præſumi, nec ex actu præſumi ſanam mentem agentis, v. g. etiamſi is piam cauſam inſtituiſſet. Neque obſtare exemplum *teſtamenti Tuditani,* nam ipſam approbationem centumvirorum indicare, quod hoc teſtamentum ipſum non valuerit ex ſe, ſed ex approbatione. Horum ſeptentia ut *conciliari* poſſit cum præcedente, dicendum eſſe eos loqui de caſu, *ubi non conſtet de dilucidis intervallis.* Porro regulam ipſam de præſumtione furoris continuantis limitandam eſſe, quando probata ſit qualitas, quædam furori contraria, item quando probatum ſit directe vel oblique contrarium, denique quando actus factus fuerit poſt diuturnum temporis intervallum, poſt tempus furoris. Habes hic totam & integram doctrinam Maſcardi, omiſſis ſaltem allegatis, quæ decies ſuperant ipſas aſſertiones. Uti vero ipſe Maſcardus b) fatetur, ſe Manticæ etiam autoritatem hic ſecutum

tum esse, atque res ipsa id ostendit, si ipse Mantica c) cum Mascardo conferatur, ita ad utrumque provocat Menochius d) eosque tantum non ubique sequitur; e) nisi quod ordinem assertionum aliquatenus mutaverit, etsi dicat, f) quod velit notare ea, quæ ante ipsos jam observasset. Ergo consideremus saltem paululum Mascardum. Hic recte quidem incipit regulam nobiscum formando, & dissentientes notando, sed tamen inepte conciliat, quia, si hic eorum sensus esset, tum non recederent a regula. Porro recte format nobiscum ampliationem regulæ, nisi quod loco verborum: *etiamsi furiosus habeat dilucida intervalla, ponere debuisset, etiamsi Justinianus & ejus asseclæ furiosis imperite tribuant dilucida intervalla;* recte notat, quod contradicant huic ampliationi alii: nam quod vere contradicant, patet ex ratione subjuncta, *ut potius actus valeat quam pereat.* Sed hic iterum conciliatio stulta est; si enim dicatur, furiosum, qui habet dilucida intervalla, præsumi sanæ mentis, ex qualitate actus, falsum est, quod intervalla sint dilucida, cum opus habeant præsumtione aliunde nempe ab actu desumta. Unde iterum recte senserunt contradicentes, ex qualitate actus non recte inferri ad qualitatem status furiosi, cum etiam furiosi simulent non raro se esse sanos, g) nisi quod hi iterum inepte admittant furiosos *dilucida intervalla habentes.* Sed magis inepte conciliat eos cum præcedentibus Mascardus, quasi scilicet loquantur de casu, ubi *non constet de dilucidis intervallis.* Si enim non *constet* de dilucidis intervallis, non potest etiam dici, quod furiosi *habeant* dilucida intervalla.

a) de probat. concl. 335. b) d. concl. 825. n. 5. & 14. c) de conj. ult. vol. lib. 2. tit. 5. d) de præsumt. lib. 6. præs. 45. n. 1. e) ibid. n. 59. 60. f) dict. n. 1. g) Vid. supra §. 13. not. g.

§. XXXVI.

Quodsi mireris, quomodo possibile fuerit, ut viri eruditi & ingenio pollentes in re aperta inter se tam mire dissentire potuerint, & qumodo alii æque eruditi saltem cogitari potuerint de conciliatione autorum evidentissime inter se dissentientium, facile cessabit admiratio, si saltem ea repetas, quæ statim ab initio a) de præjudiciis autoritatis & præcipitantiæ notavi. Nimirum qui nobiscum sentiunt, & tamen dilucida intervalla admittunt, præcipitanter interpretati sunt Justinianum, quasi per dilucida intervalla intellexerit, quæcunque furiosorum intervalla & intermissiones, vel conspectum adumbratæ quietis a veteribus etiam ICtis admissas, cujus tamen contrarium supra b) ostendi. Contra, qui recte interpretati sunt Justinianum, præjudicio autoritatis seducti putaverunt regulam de præsumta continuatione furoris limitandam esse, nisi furiosi habeant dilucida intervalla. Cum tamen vel inviti sentirent, illa intervalla dilucida non ita dilucida esse, ut non opus haberent probatione, quæsiverunt eam probationem nimis præcipitanter in actione furiosi, quæ nullum evidens signum furoris suppeditaret, non sentientes, eo ipso, dum intervalla hæc opus habeant probatione aliunde petita, non posse illa haberi pro dilucidis, & has duas propositiones contradictionem involvere: furiosi actiones ideo habendæ sunt pro actionibus hominis sanæ mentis, quia dilucida intervalla habet, & ideo furiosus dilucida intervalla habet, quia actiones ejus sunt actiones hominis sanæ mentis. Major est præcipitantia eorum, qui autores evidenter sibi contradicentes pro more præcedentium seculorum c) conciliare voluerunt: cum æque ex sensu communi deducatur hoc principium: contradictoria non posse conciliari, atque illud: contradictoria non posse

dum

ſimul eſſe vera Vides adeo, quantum lucrati fuerimus, dum ſupra d) illam chimæram dilucidorum intervallorum, non obſtante autoritate Juſtiniani, rejecimus. Cum enim ex principiis metaphyſicis, quatenus ipſa in ſenſus incurrunt & grillis Platonico-Ariſtotelicis opponuntur, certum ſit, non entis nulla eſſe prædicata, hinc non opus habuimus, ut eſſemus ſolliciti, utrum illa dilucida intervalla regulam de præſumta furoris continuatione limitent nec ne, & quomodo diſſentientes in hac quæſtione doctores conciliari poſſint vel debeant.

a) §. 2. b) §. 31. c) Adde Autorem Obſerv. 12. & ſeq. tom. 3. Obſ. Hallenſ. & Jac. Thomaſium Orat. 15. d) §. 13. & 31.

§. XXXVII.

Antequam hinc abeam, ſentio, facile ex adducto a Maſcardo, a) Mantica, b) Menochio, c) exemplo centumvirorum, Tuditani hominis inſani teſtamentum approbantium, alicui dubium oriri poſſe, quaſi falſum eſſet, quod Juſtinianus demum dilucida furioſorum intervalla ipſe primus effinxerit, & quod Gloſſatores inepte hæc dilucida intervalla ex qualitate actus probare voluerint, cum tamen jam centumviri ex teſtamento Tuditani prudenter facto judicaverint, eum teſtamenti tempore habuiſſe intervalla dilucida. Antequam ad hanc objectionem reſpondeam, age, videamus ipſum Valerium Maximum. Ita vero ille: d) *Quam certæ, quam etiam notæ inſaniæ Tuditanus, utpote qui populo nummos ſparſerit, togamque velut tragicam veſtem in foro trahens maximo cum hominum riſu conſpectus fuerit, ac multa his conſentanea fecerit. Teſtamento is filium inſtituit heredem, quod Tit. Longus ſanguine proximus haſtæ judicio ſubvertere fruſtra conatus eſt: Magis enim centumviri, quid ſcriptum eſſet in tabulis, quam quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimaverunt.* Jam vero nego, ex his Valerii verbis inferri poſſe, quaſi is putaverit, quod centumviri

 hoc

hoc judicio declaraverint, se ex qualitate actus, & quod Tuditanus filium instituerit, judicasse, quod Tuditanus, etsi furiosus, tempore testamenti dilucida intervalla habuerit. Nam ex sententia ipsius Valerii Maximi e) pertinet hoc exemplum ad ea testamenta, quæ (contra rationem) rata manserunt, cum causas haberent, propter quas rescindi possent, & quidem merito, f) id est, quæ de jure rescindi deberent, adeoque Valerius Maximus credidit, centumviros hic judicasse contra regulas juris recepti. Adde, quod nondum constet, quid velit Valerius, non solum in verbis finalibus, de quibus modo diximus, sed &, quod adhuc obscurius loquatur in verbis antecedentibus, aut quod forte corrigenda & emendanda sint ejus verba. Quomodo enim si Tuditanus filium instituit heredem, Titus Longus potuit describi a Valerio, quod Tutidano fuerit sanguine proximus? Unde & Lipsius g) emendavit locum, & loco *is filium* legit *Ofilium.* Quomodo enim si filium instituit, Longus Tutidano sanguine potuit fuisse proximus, imo quem fructum actionis sensisset Longus, rescisso sub prætextu furoris Tutidani testamento, cum & rescisso testamento filius ab intestato heres proximus fuisset? Unde non sine causa Rupertus h) correctionem Lipsii approbans addit, dubia contra vulgatam lectionem proposita nec acerrimi judicii Papinianum expedire posse. Interim tamen Wissenbachius, JCtus alias eximius, non erubuit scribere, ridiculam hanc esse emendationem Lipsii, i) sed mallem, ut rationem addidisset, & dubia modo dicta removisset. Quid si dicamus? Tutidanum jam ante furorem emancipasse filium, & ita Longum, non obstante filio, fuisse proximum Tutidani agnatum ab intestato succedentem? Sed si hæ circumstantiæ adfuissent, credo Valerium emancipa-

tionis

tionis mentionem facere debuisse, & in demonstrando Longo agnationis mentionem loco proximitatis sanguinis facturum fuisse. Ergo mallem non ridere lectionem Lipsii, sed eam retinere. Neque enim verosimile est, quod lego observatum esse a nescio quo adnotatore; k) Longum ex ea causa voluisse testamentum Tuditani evertere, quod filius institutus exheredationem meruisset. Vellem enim scire, qua formula actionis? Etsi forte dicere velis, ex omissa exheredatione filii eam merentis Longum voluisse argumentum sumere ad probandam insaniam Tuditani, ea tamen divinatio longius quæsita esset, nec credendum, ejus circumstantiæ, si ad rem pertinuisset, mentionem non facturum fuisse Valerium. Notum quidem est, querelæ inofficiosi testamenti prætextum fuisse fictum a prætore furorem patris, at similem fictionem apud Romanos in usu fuisse, si pater filium exheredationem merentem non exheredasset, non credo. Quid ergo dicemus? Salva autoritate Valerii asserere licebit, eum recte quidem retulisse sententiam centumvirorum, sed non recte judicasse de ejus ratione & justitia, & in eo graviter errasse, quod habuerit Tuditanum pro homine demente vel furioso.

a) Vid. §. 35. b) de conj. ult. vol. lib. 2. c. 5. n. 7. p. 33. c) lib. 6. præf. 45. in 66. d) l. 8. c. 8. ex. 1. e) in verbis immediate præcedentibus. f) Ut patet ex verbis initialibus cap. præc. g) in notis variorum. h) Diss. ad Valer. Max. p. 461. i) in comment. ad l. 9. Cod. qui test. fac. poss. p. 420. k) in not. var.

§. XXXVIII.

Scilicet circumstantiæ etiam ab ipso Valerio allatæ ostendunt, ita casum esse formandum. Tuditanus Fulviæ, uxoris Antonii, Triumviri avus a) jam a Cicerone prædicatur fuisse homo morum plane singularium, nempe *qui cum palla & coturnis, nummos populo de rostris spargere solebat*, b) sed qui propterea non poterat in classem demen-

tium

tium referri, cum Cicero, Fulviæ avaritiam, (quam propterea paulo ante, *bonam fœminam, locupletem quidem certe,* vocaverat) notaturus, ſtatim ſubjungat: *Vellem hanc contemtionem pecuniæ ſuis reliquiſſet.* At vero præter hanc a Cicerone jam memoratam nummorum ſparſionem, nullam aliam notam, *certæ,* ut dicit, *inſaniæ,* memorat Valerius, quam quod Tuditanus præterea *togam velut tragicam veſtem in foro trahens maximo cum hominum riſu conſpectus fuerit.* Sed nec hæc actio furioſum probat, aut mente captum. Et quamvis Valerius addat, quod *multa his conſentanea fecerit* Tuditanus, tamen illa conſentanea, quæcunque fuerint, veroſimiliter fuere minora ſtultitiæ ſigna, certe non majora, quam præcedentia, alias haud dubie Valerius ea retuliſſet. Quod autem nihilominus Valerius eum vocaverit hominem *certæ & notæ inſaniæ* forte ideo factum fuit, quod apud Ciceronem alibi c) legerit verba ſequentia: *Quid loquar de inſanis? Qualis tandem fuit affinis tuus, Catule, Tuditanus? quisquam ſaniſſimus tam certa putabat, quæ videt, quam is putabat, quæ videbantur?* (i. v. viſa, falſas imaginationes, Geſichter, phantaſtiſche Einbildungen.) At jam ſupra diximus, dementes etiam eſſe, quorum imaginatio morbo corrupta eſt. Hi mores & hæ actiones publice notæ erant, adeoque a populo pro fatuo habebatur. Non tamen includebatur a cognatis, neque etiam Magiſtratus ipſi curatorem dederat. Hic igitur Tuditanus teſtamento facto, præterit proximum conſanguineum & heredem ab inteſtato, & loco ejus extraneum quendam Ofilium heredem inſtituit. Mortuo teſtatore proximus ſanguine Longus impugnat teſtamentum, eo quod Tuditanus a populo pro ſtulto fuerit habitus, ſimul allegans actiones a Valerio notatas, tanquam præſumtiones dementiæ. Hoc tamen non obſtante judicarunt centumviri,

teſta-

teſtamentum eſſe confirmandum, idque ex evidentiſſimis & juſtiſſimis rationibus, quia actiones Tuditani ab actore ad probandam ejus dementiam allegatæ nihil minus quam dementiam Tuditani probant. Nam & ſparſio nummorum, etiamſi in palla & coturnis facta fuerit, & togæ tractio in foro nil amplius indicant, quam mores Tuditani indecoros, pueriles, ruſticos. Solent enim pueri ineptientes ex direptione rerum a ſe ſparſarum, dum alter alterum elidit atque proculcat, voluptatem capere. d) Solebant apud Romanos modeſtiores togam adſtringere, negligentiores autem fluere ſinebant. Teſtis eſt Horatius: e)

Arcta decet ſanum comitem toga

& alibi: f)

Rideri poſſit, eo quod
Ruſticius tonſo toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret: at eſt bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc ſub corpore.

Riſerunt homines ſani Tuditani ruſticitatem & fatuitatem, ſed propterea non habuerunt pro mente capto aut furioſo, cum & dentur fatui politici, g) & ſoleant etiam homines non dementes ſimulare dementiam, h) ut taceam, nunquam me legiſſe apud JCtos, quod ſparſio nummorum, & tractio togæ ut tragicæ veſtis in foro, item uſus pallæ & coturnorum, inter ſigna & probationes dementiæ fuerint relatæ. Unde & Lactantius i) inſaniam hanc Tuditani avaris imitandam commendavit. *Imitare,* inquit, *inſaniam ſaltem furoremque Tuditani; ſparge populo diripienda.* Ita memini Cardanum, magnum alias Philoſophum, ſua vitia ſine diſſimulatione deſcripſiſſe in libro de vita propria, k) quæ ſi cum fatuitate Tuditani conferas, eam multis modis ſuperant, & tamen nunquam Cardanus pro

mente capto vel furioso fuit habitus. Quod vero Cicero eum inter insanos, qui visionibus falsis repleti sunt, referat, l) nihil amplius probat, quam quod Tuditanus referri potuerit ad candidatos dementiæ. m) Denique autoritas Valerii M. Tuditanum appellantis hominem certæ & notæ insaniæ, non magis veritatem assertionis probat, quam cum Æbaciæ tabulas testamenti plenas furoris fuisse falso asseruit, n) ideo quod unam tantum filiam heredem instiuerit, alteram vero præterierit, ejus autem filiis ex amplo suo patrimonio viginti millia nummorum legaverit, cum ingens sit differentia inter factum durum vel iniquum & furiosum.

a) Cicero 3. Philip. c. 6. b) Cicero ib. c) l. 2. Acad. quæst. c. 28. d) Rupert. ad Valer. M. pag. 462. e) l. 1. Epist. 18 v. 30. f) l. 1. sat. 3. v. 30. seqq. g) per dicta §. 5. h) per dicta §. 15. i) lib. 3. div. inst. c. 23. p. m. 316 k) capite 13. 18. 19. 20. 21. l) l. 2. Acad. qu. c. 28. m) per dicta superius §. 18. n) d. l. 7. c. 8. §. 2.

§. XXXIX.

Inter causas, quæ probationem furoris difficilem reddunt, retuli etiam, a) quod quandoque homines sanæ mentis data opera furorem simulare soleant. Sed nescio qui factum fuerit, ut celeberrimus alias JCtus, Dionysius Gothefredus b) asseruerit: simulationem furoris esse pœna dignam; eumque in finem allegaverit Ulpianum c) & Ciceronem. d) Nam quod Ulpianum attinet, is saltem admonet Prætorem, ne sine plena causæ cognitione alicui ut furioso curatorem det; cum plerique dementiam fingant, quo magis curatore accepto onera civilia detrectent, nequaquam vero dicit, quod hi simulantes puniri debeant. Neque Cicero in libro a Gothofredo allegato de pœna furorem simulantium quicquam habet. Ut taceam nec alibi in jure ejusmodi simulationem inter crimina sive publica sive extraordinaria recenseri. Id equidem

dem concedo, si quis aliud delictum committens se simulet esse furiosum, demonstrata simulatione, eum ut delicti reum esse puniendum, sed exinde non inferri poterit, quod simulatio pœna coërceri debeat. Alia quæstio est, an laudabile vel honestum sit simulare dementiam? quia secundum dictum vulgare, non omne, quod licet, (i. e. quod non punitur) honestum est. Et tamen nec hic in universum quæstionem definire poterimus, cum pro diversitate circumstantiarum, ea modo affirmari, modo negari possit, unde & hic notum proverbium: dementiam in tempore simulare interdum sapientis est. Sed cum hanc quæstionem resolvere a scopo dissertationis hujus alienum sit, c) ad alia pergo.

a) supra §. 15. b) in not. ad l. 13. in fin. ff. de offic. præs. c) l. 6. de curat. fur. d) l. 2. de invent. e) Vid. interim Sam. Strykii diss. de dementia c. 1. §. ult.

§. XL

Porro dixi, a) testes non simpliciter super furore, sed simul etiam super rationibus scientiæ suæ esse interrogandos, cum furor non incurrat immediate in sensus. Docent vero prima processus principia, pertinere hanc observationem ad officium actoris vel judicis articulos formantis, non ad officium testis, etsi haud dubie prudens testis super furore vel dementia alicujus interrogatus, etiamsi advocatus vel judex eum super causa scientiæ in specie non interrogaverit, ex regulis prudentiæ rationes scientiæ suæ daturus sit, cum alias testimonium ejus nihil sit actori vel judici profuturum. Interim si testis non interrogatus de causa scientiæ simpliciter respondeat, eum, de quo agitur, esse furiosum, non peccabit, nec aliquid indignum officio boni testis faciet, sed potius negligentiæ advocati vel judicis id imputari debet. Ita homines sanæ mentis loquuntur, & docent, ac si opus sit, rem alio ex-

 emplo,

emplo, v. g. si agatur de dominio rei alicujus, illustrant. Nec aliud intendit Glossator antiquus, qui primus docuit, *fidem testibus de furore deponentibus non adhiberi, nisi reddiderint probabilem causam scientiæ, tametsi non fuerint interrogati.* Sed incongrua tamen est locutio, cum verba finalia videantur indicare, ac si testes obligati sint ad rationem scientiæ dicendam, etsi non fuerint rogati. Interim tamen quia glossatores antiqui credebant, se non solum claris verbis textuum, sed & claris verbis antecessorum esse alligatos, & tanquam glebæ adscriptos, hinc subsequentes hanc ineptam locutionem ne verbulo quidem mutato retinuerunt, b) & his alii adhuc stupidiores non dubitarunt asserere directo, testes in eo casu ad rationem dicendam esse obligatos, TENERI ex se rationem reddere, DEBERE id facere, &c. quos successores non solum fideliter exscripserunt, sed & ad ipsorum verba tanquam ad evangelia provocarunt. c) Et adeo non mirandum, si hodie advocati & judices stupidi, quorum non est exiguus numerus, omittentes forte articulos de ratione scientiæ, & propterea increpati ab iis, quorum interest, se esse innoxios, vociferentur, & testium potius increpationem aut pœnam urgeant, provocantes ad clara verba Mascardi & reliquorum Patrum conscriptorum, quos ipse citat.

a) d. §. 15. b) Vid Mantic. & quos ibi citat. de conj. ult. vol. l. 2. t. 5[illegible]. 16. c) Mascard. de probat. concl. 827. .n. 4. 5. in verbis : ut habetur ab ipsismet scriptoribus, &c. & ultra prædictos dixit etiam Franc. Curtius, &c.

§. XLI.

Etsi autem aliqui ex antiquis Glossatoribus statuerint, a) sufficere, si testis de causa interrogatus responderit, scio, quia eum vidi furere, cum tamen jam supra notatum fuerit, furorem & dementiam non immediate in sensus incurrere, sed ex actis & verbis furiosorum esse probandam,

dam,

dam, hinc facile patet, non ſufficere iſtam reſponſionem teſtis ad probandam dementiam, unde & plerique alii Gloſſatores recte diſſenſerunt. aa) Aliud dicendum de quæſtione priori affini, an ſufficiat, ſi teſtis dixerit aliquem eſſe furioſum, quia viderit illum in carcerem ligatum funibus detineri ut furioſum. Etſi enim Bartolus b) voluerit, ejusmodi teſtem non concludenter probare, niſi addat, & in vinculis vidiſſe, & audiviſſe inſana verba dicere, & Maſcardus hanc ſententiam tacite approbet, tamen haud dubie decepti ſunt ejus autores, quod nimis ſtricte acceperint verba aliorum, docentium, teſtes per verba aliorum, docentium, teſtes per verba & facta furientium furorem probare debere, id enim de eo erat intelligendum, quod regulariter fieri ſolet, nequaquam tamen excluſis ſignis probandi furorem ex factis aliorum deſumtis, quæ æque & certo reſpectu in majori gradu veriſimilia eſſe oſtendimus, c) ac ſigna, quæ ex dictis & factis ipſorum petita ſunt, quamvis non negemus, majorem veroſimilitudinem inde orituram, ſi teſtis ipſe audiverit, hominem compedibus vinctum verba inſana protuliſſe. Nec ſenſit Maſcardus, Bartolum hic ſecutus, quod ſibi ipſi contradiceret, cum paulo ante d) inter probationes furoris eam pro potiſſima & præcipua habuerit, ſi ob furorem quis a conſanguineis & affinibus in carcere contineatur, & compedibus conſtrictus ſit, additis non ſolum autoritatibus multorum aliorum gloſſatorum, ſed & argumento ab aſſenſu ipſorum JCtorum Romanorum e) petito, & exemplis quibusdam ex Herodoto. Et hanc ſententiam unanimiter ſequuntur Mantica f) & Menochius. g) Eadem eſt ratio indicii, ſi teſtes deponant, alicui tanquam furioſo datum eſſe curatorem, h) utpote quod etiam a facto aliorum eſt deſumtum, quamvis & de eo quidam videantur

dubitasse, i) forte ex eadem ratione, quod hæc depositio non desumta sit a dictis & factis ipsius furiosi.

a) Mascard. de prob. concl. 1048. n. 27. ubi etiam hanc sententiam defendit. aa) Ipse Mascard. de prob. concl 502. n. 18. seq. Adde Mantic d. l n. 16. b) cit Masc. d. concl. 827. n. 6. c) toto §. 23. d) nimirum concl. 826. n. 2. 3. 4. e) l. 13. §. 1. l. 14. ff. de offic. præs. f) l. 2. t. 5. post. num. 12. in signo. 5. g) l. 6. præs. 45. n. 27. h) Menochius ibid n. 44. Masc. concl. 826. n. 7. 8. i) Mantica d. l. n. 15.

§. XLII.

Ex modo dictis etiam sequitur, quod idem Mascardus insigniter erraverit, dum aliorum auctoritatem secutus asseruit, a) tanquam singulare quid notandum esse, quod si quis mente captum aliquem asserat, & interrogatus de causa scientiæ respondeat, quia sum vicinus illius, concludenter probet. Nam & hæc responsio est similis responsioni, quia vidi eum furere, imo adhuc imbecillior, quia vicinus potuit etiam scientiam suam habuisse ex auditu. Nec sufficit, quod Mascardus pro confirmanda hac assertione afferat, quod vicinus præsumatur cognoscere & scire facta vicini sui. Quid si enim quis hanc præsumtionem, ita crude de omni vicino prolatam, neget? Sed demus etiam eam præsumtionem esse verosimilem; non sufficit certe in probatione furoris alieni, quod testis ipse sciat, vel præsumatur scire statum ejus, de quo agitur, alias enim nunquam interrogandus esset de causa suæ scientiæ, ab actibus & signis externis desumenda, quod tamen vult ipse Mascardus, b) & id etiam exinde patet, quia finis omnium probationum est, ut fides fiat judici de illis rebus, quas scit testis. Quia itaque dementia non immediate in sensus cadit, necesse est, ut propositis rationibus, unde scientiam suam hauserunt testes, similis scientia excitetur apud judicem. Ulterius non obstat, quod tamen ipsi supra c) inter probationes dementiæ retulerimus, si quis a vicinis pro demente fuerit habitus. Nam ut taceam,

non ſolorum vicinorum mentionem me ibi feciſſe, ſed adjunxiſſe etiam parentes, item alios omnes, & maxime medicos; id jam ſufficiet, quod reſpexerim ibi ad plurium ſcientiam, quæ quaſi notorietatem quandam probat; at, quemadmodum vicinus unus & vicini in plurali valde differunt, ita etiam per unius vicini ſcientiam non probari poteſt notorietas.

a) d. concl. 1049. n. 35. b) concl. 826. n. 1. c) d. §. 23. ab initio.

§. XLIII.

Quæ de teſtibus hactenus diximus, eadem etiam applicanda erunt ad notarios, quamvis hi ſint teſtes alias magis privilegiati, quia in his eſt eadem ratio. Unde ſi de furore & dementia alterius deponant, & ipſi rationem ſcientiæ reddere debent, ut teſtimonium eorum fidem judicis mereatur. Ad ſanitatem probandam, teſtimonio eorum non eſt opus, ſi furor non ſit probatus, quia jam præſumtio eſt pro ſtatu ſanæ mentis. a) Quodſi eorum teſtimonium adhibeatur adverſus teſtes actoris in probatione contraria, inſuper ſuſpecti ſunt, etſi in ſpecie de factis & dictis ejus, de quo qæuritur, ſanam mentem indicantibus deponant, quia contra officium ſuum peccant, ſi conficiant inſtrumentum, quod contineret diſpoſitionem dementis. b) Et ſecundum hanc obſervationem reſolvendæ ſunt contradictiones gloſſatorum c) circa teſtimonium notariorum pro ſanitate mentis vel contra eam.

a) per dicta §. 11. b) Mantic. d. t. 5. n. 17. c) Apud. Mantic. d. l. Adde Menoch. l. 6. pr. 45. n. 21. & 65. Maſc. concl. 78. n. 45. ſeq. & concl. 502. n. 13. ſeq.

§. XLIV.

quid circa probationem furoris contineat. Nam ex hactenus dictis sic tenendum. Vel testes deponunt contra hominem sanæ mentis, sine addita ratione scientiæ, tum nihil probant per hactenus dicta, ergo multo minus probabunt, si duo testes pro sana mente deposuerint; etiamsi & hi non addiderint ullam rationem scientiæ. At si testes contra aliquem, de quo hactenus furor non probatus erat, deposuerint cum causa scientiæ, & vice versa, tum non considerandus est numerus testium, sed examinandæ erunt judici rationes a testibus hinc inde prolatæ, quænam ex illis contrarias, partim numero, partim pondere vincant, quorsum etiam inclinat Mantica. c) Et sic etiam intelligo assertum Menochii, d) pertinere ad arbitrium judicis determinationem quæstionis, utrum quis sit fatuus nec ne.

a) Brunnem. ad l. 3. C. qui test. fac. poss. n. 4. & ad l. 9. eod. n. 3. Mantic. d. t. 5. n. 6. Menoch. l. 6 præs. 45. n. 21. Masc. concl. 827. n. 11. 12. 13. b) Mantic. d. l. Masc. d. n. 13. c) d. n. 6. in fine. d) de arbitr. jud. qu. cas. 529 n. 3.

§. XLV.

Porro dum supra a) perspicue exposui, in dementia rationem hominum semper lædi mediante læsione sensuum internorum: jam facile judicare licebit, quid sentiendum sit de controversia, quam tractat Zacchias, b) utrum per solam imaginationem læsam aliquis demens reddi possit? ubi contra communem & JCtorum & Medicorum sententiam quæstionem negat, ex pluribus rationibus, quæ apud ipsum videri possunt, & simul contra eos disputat, qui statuunt, apud quosdam dementes solam imaginationem fuisse læsam, illæsa tamen ratione, exemplo Theophili apud Galenum, qui cum ægrotaret, tibicines in angulo domus extare imaginabat, indesinenter canentes, quos ut domo ejicerent, assistentes enixe rogabat,

bat, in quo caſu ſecundum diſſentientes imaginatio quidem Theophili erat læſa, ſed minime ratio, quia recte inculcabat, illos eſſe domo extrudendos, &c. Nam ſecundum noſtram ſententiam hactenus quidem recte procedit Zacchias, cum putat, cum magna læſione imaginationis in cerebro ſemper conjunctam eſſe læſionem rationis, atque hujus ſanitatem minime probari ex eo, quod Theophilus juberet, tibicines ex domo expellere. Sed tamen quædam adjicit, pro probanda ſua ſententia, quæ falſa ſunt evidenter, ut quando e. g. dicit, c) eſſe quidem errorem in imaginatione, quæ falſa imaginetur, ſed ipſam imaginationem non errare, quia neque neget, neque affirmet, ſed fixetur ſaltem in ſimplici contemplatione phantaſmatis, quodſi vero ratio illud phantaſma affirmet, tunc inſanire rationem, non imaginationem. Scilicet in eo erravit Zacchias, quod putaverit, ſenſus internos hominis (nam beſtiæ carent ſenſu interno) nec affirmare nec negare, cum tamen experientia doceat, ſenſus internos hominis non eſſe ſine cogitatione; d) cogitationem autem non eſſe ſine affirmatione vel negatione, vel quæſtione, & primam, quæ vulgo dicitur, mentis operationem eſſe chimæram.

a) ſupra §. 20. b) qu. 4. n. 5. ſeq. item n. 21. ſeq. c) n. 28. d) Conf. Dn. Præſ. Einleitung zur Vernunfft-Lehre, cap. 3. n. 30. ſeq. 70. ſeq.

§. XLVI.

Denique ſupra quædam exempla dedi a) ſignorum, quæ ſingula probant dementiam ejus, qui hactenus pro homi-

tor in testamento jusserit cadaver suum in mare projici. b) Scilicet quia credunt, Modestinum JCtum hanc sententiam asseruisse. Nobis amicus quidem Modestinus, sed magis tamen amica veritas. Imo nec ipse Modestinus unquam hanc ineptam sententiam defendit. Verba sunt: c) *Quidam in suo testamento heredem scripsit, sub tali conditione: si reliquias ejus in mare abjiciat. Quærebatur, cum heres institutus conditioni non paruisset, an expellendus est ab hereditate? Modestinus respondit: Laudandus est magis, quam accusandus heres, quia reliquias testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem abjecit, sed memoria humanæ conditionis sepulturæ tradidit. Sed hoc prius inspiciendum est, ne homo, qui talem conditionem posuit, neque compos mentis esset. Igitur si perspicuis rationibus hæc suspicio amoveri potest, nullo modo legitimus heres de hereditate controversiam facit scripto heredi.* Putarunt igitur Glossatores, Modestinum statuisse, ex hac conditionis appositione justam probationem oriri, quod testator tempore testamenti fuerit demens, nisi heres scriptus hanc probationem elidat aliis perspicuis probationibus contrariis. Sed aberrarunt a scopo. Nam ut paucissimis me expediam, hoc voluit Modestinus. Heres ab intestato non potuit testamentum impugnare ex eo, quod heres scriptus conditionem non adimpleverit, quia hæc conditio fuit contra bonos mores. Quodsi forte testamentum simul nullum esse dicturus sit, tanquam a demente factum, faciet quidem hæc circumstantia aliquam suspicionem, sed non probationem, cum potius ista conditio saltem probet fatuitatem moralem testatoris, unde vel hac sola perspicua ratione, (si non aliæ probationes dementiæ accedant,) eadem amoveri poterit.

a) supra §. 22. b) Menoch. l. 6. præs. 45. n. 29. Masc. concl. 826. n. 25. c) l. 17. de cond. instit.

§. XLVII.

§. XLVII.

Quemadmodum autem alias dato uno absurdo sequuntur plura, ita etiam in hac materia quidam Glossatores haud dubie occasione erroris modo notati seducti sunt ad alium ei affinem, sed differentem tamen a casu priori. Scilicet condiderat Ludovicus Cortosius 1412. testamentum, in quo jusserat corpus suum sepeliri cum quinquaginta musicis, tubas, arpas, lautas, cytharas, organa, tympana & alia genera instrumentorum pulsantibus, & canentibus: Gloria in excelsis DEO, &c. etheredes ejus etiam voluntatem ejus adimpleverunt. Fuerunt tamen Glossatores, qui putarunt, ex hac clausula etiam probari testatorem fuisse dementem: quibus vero plerique ex recentioribus recte contradicunt. a) Nam etsi hic modus adjectus sepeliendi fuerit contra, vel accuratius, præter mores receptos, non tamen fuit contra bonos mores. &c.

a) Vid. Mantic. l. 2. t. 5. n. 9. Menoch l. 9. præf. 45. n. 41. seq. ubi vide verba testamenti.

§. XLVIII.

Sunt & alii falsi modi probandi dementiam a Glossatoribus inventi, quos saltem per indicem quasi recensebimus, cum earum ineptiæ pene in sensus incurrant. Sic alii putant, a) dementiam probari per hanc rationem, si infirmus prohibeat, vel spernat medicinas, addita tamen hac eleganti limitatione, si id faciat ob insaniam vel furorem. Alii eum etiam pro furioso habent, b) qui cum bonum possit, malum eligit, quia videlicet impera-

pore bona sua dilapidaverit, vel sine justa causa donaverit, præprimis extraneis; vel si bona vili pretio vendiderit & enormiter læsus sit. Alii putant, e) præsumi dementem, si quis quos debet, non salutet, vel revereatur, infimas vero personas, & quas non debet, honore afficiat; item, f) si quis sua natura audax & impudens in morbo meticulosus appareat, & vice versa; item g) si quis tristitia afficiatur, ubi gaudendum sit, & vice versa, vel si non timeat timenda & vice versa. Alias plures ineptias ut jam ex tædio laboris parum jucundi silentio prætercam.

a) V. Menoch. n. 37. sq. Mant. n. 12. Mascard. concl. 826. n. 23. 24. b) Mascard. ibid. n. 21. c) §. 5. Instit quod cum eo &c. d) Menoch. n. 57. Masc. concl. 502. n. 11. 13. Zacchias. qv. 3. n. 8. e) Zacchias n. 6. f) ibid. n. 16. g) ibid. n. 23.



A4 1147 5 5 43